Vulgatiores fidei notiones sufficiunt ad hoc, ut intelligamus, extremam esse stultitiam alteri cuicumque rei præterquam salutis suæ negotio operam dare, & in ea præcipuas curas impendere. Quod finem habere potest, ac debet, cum æternitate nullum habitura finem conferendum non est. Maxima quælibet mortalium cæpta, & conatus, hanc dumtaxat vitam respiciunt, & cum eadem sunt desitura. In mundo nihil æternum est præter salutem, & quidquid ad illam refertur; cujus igitur ponderis hæc omnia esse debent, si cum salute conferantur? Da mihi, hac mente dicebat S. Bernardus, eruditissimum hominem, præstantissimum, atque acutissimum virum, qui æque de regulas reipublicæ optime administrandi, cui sit summa prudentia, ut impeditissimas causas expediat, & eminus conatuum eventus, effectusque prospiciat; si tanto hic donatus ingenio, tantaque intelligendi vi præditus ante cæteris saluti suæ minime vacat, insipiens est; omnia ejus lumina tenebræ sunt, deest illi sensus, & judicium, cum nesciat, quod scire maxime interest, & quod esse deberet præcipuum attentionis, & perquisitionis ejusdem objectum: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, inquit Regius Proph. Ps. 81. *De la Font pro 8. post Pent. Dom.*

Propositum serio vacãdi salutis nostræ negotio.

Sæpe nobismet ipsis dicamus: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc. 10. Nihil est, ad quod relinquendum paratus non sim; nihil est, ad quod aggrediendum præstio non sim; nihil adeo difficile, quod ferre detrectem, ut certam mihi faciam beatam æternitatem. Hoc imposterum erit unicum mearum cogitationum objectum, unicum negotium meum, cujus cura cæteris quibuscumque præstabit. Ea, quæ deinceps facturus sum, ad salutem meam unice a me referentur: nihil agendum suscipiam, quin antea diligenter excusserim, utrum saluti meæ utile sit futurum, an secus . . . Quæcumque detrectabo lucra, quæ mihi possint offerri, non solum si mihi obstaculo fuerint, sed etiam si me in aliquod discrimen vocatura esse præsensero; tandem enim quocumque pretio, ac labore salus quærenda est; nihil enim mihi profuturum esset mundi totius imperium fuisse consecutum, si in æternum, ac nullam reditus spem inteream. *Idem.*

Nonnisi propter Deum, & ut salutẽ nostram faciamus creati sumus.

Propter Deum unice creati sumus, omnes actiones nostræ pertinet ad illum; quodcumque ad illum usque non procedit, amissum est; quidquid non confert, ut in æternitate beati simus, inutile est. Hinc argumentare. Ego igitur tamquam insipiens egi quotiescumque propter mundum, propter amorem proprium, propter cupiditates operatus sum; hoc autem, o Deus, quantum vitæ meæ occupat spatium, ubi vix exiguum invenire possum actionum numerum, quæ vere, ac mere fuerint propter te? Opus est igitur, ut me ipsum, secundum Scripturæ locutionem insipiam, tamquam puerum centum annorum. Opus est, ut ex hac die vitam meam numerare incipiam, atque intentiones, vitæque meæ rationes ita dirigam, ut saltem in fine dicere possim me paulisper vixisse pro illo, pro quo semper vita mihi erat ducenda. *Tiberges in recessu die prima.*

Nisi de salute nostra solliciti sumus, pro aliis laboramus, non pro nobis.

Nonne insipientes essemus, si cum nemo nobiscum mortis nostræ pericula partiri possit, vitam nostram traducimus aliis unice inserviendo, quin opera nostra ad salutem, æternamque felicitatem referamus? Subditus servire debet Principi, sed hac mente, ut speret post mortem fidelitatis, zelique sui præmia se consecuturum. Sin accidat, ut, cum moritur, nihil aliud fecerit, nisi quod Principi suo fuerit famulatus, quin simul & Deo servire cogitaverit, in quem recidit inutilitas vitæ ipsius? Pater pro filiis operari debet; nisi sibimet proposuerit christiano more suis officiis perfungi, ex hac egrediens vita filios quidem opibus affluentes relinquit, sed nihil sibi se fecisse cognoscet; hoc est, morietur sibi, postquam vixerit aliis. Amicus agere debet, ut amico bona præstet officia, quorum vicissitudo eos mutuo adstringit; si oblitus fuerit amicitiam nequaquam imminuturam horrorem mortis suæ, & se debere ad terribilem hunc transitum disponere, se solum, atque derelictum inveniet. Magistratus inviolabili integritate justitiam debet administrare; si sibi diligenter prospexerit, provinciæ suæ munera omnem illius occupationem, tempusque auferent; & nisi ille sese sanctificaverit semet devovens felicitati populorum, nihil pro sua operabitur; & vitæ finis, qui ad illum unum spectabit, nihil non refertissimum horrore habebit pro illo. Omnes homines quodcumque munus exerceant, & quacumque in conditione sint, salutem suam spectare debent velut finem, ad quem cætera sunt referenda. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

Cæterum quicumque negotia salutis negotio cedere debent.

Hoc primum est humanæ sapientiæ principium, leviora negotia gravioribus esse posthabenda; qua in re inter homines duplex non adest sententia. Filii tenebrarum pro modulo suo prudentiores, quam lucis filii; norunt illi quidem curas suas ordinatim disponere, & alias aliis subordinare; & proprie loquendo, nulla in sæculo vera sapientia est, nisi quatenus majora negotia cum minoribus collata his anteferuntur. Undenam ergo homines in praxi nequaquam vivunt juxta regulam hanc, quam in terrenis sequuntur? Præcipuum hominis negotium salus est, hoc fides nos docet. Minora negotia majoribus sunt posthabenda, hoc docet ratio. Undenam ergo hæc salutis negligentia, hæc ordinis perturbatio, qua fluxa ac terrena æternis præferimus? Hinc fieri S. Augustinus ait, quia deest prudentia, & consideratio: *Non respectimus ad rei momentum.* Sermo MS.

Salutis negotium ad omnia mortalium genera pertinet.

Salutis negotium est universale. Diversas hominum conditiones Deus partitus est; sed hæc occupatio æque ad omnes pertinet. Satis est nasci id, quod sumus, ut ejusdem simus participes. Quælibet creatura, quæ intelligendi vi prædita est, essentialem habet cum suprema veritate rationem, & quævis libera creatura necessario ad supremam tendit felicitatem. Itaque in salutis perquisitione mercator, & artifex a togato, & milite non distant, Thiara non eximit Pontificem; Regnorum curæ non eximunt Reges; scientia vel inscitia rudes, vel litteratos non eximunt. Paulo minor ambitio in honoribus consectandis labores vestros minueret; sed cum agitur de salute, hoc essentiale negotium est ipsi inhærens humanitati; hominem esse cessarem, si in me salutis perquirendæ obligatio cessaret. Adeunt fortasse causæ, propter quas a muneris mei laboribus cessem; at Deus nullas mihi obtrudere potest, quæ a salutis, atque æternitatis meæ me curis dispenset. Cogitatio hęc, o fideles, quantam vim habet, ut salutis meę negotio omnia po habeam! *Idem.*

Magna impudentis est totum sese alienis negotiis impendere & sui obliviscì.

Sepe summo cum labore aliena tantum procuramus. Monarcha vigilat, meditatur, agit, fatigique pro subditorum suorum utilitate; miles in aciem descendit pro principis gloria, vel publica securitate; togatus otium, tempusque suum prodigit, ut ingratis, vel ignotis serviat; opifex propter civium commoda, vel delicias operatur, & cives pro ingrato, prodigoque hęrede coregant opes. O nos insipientes! Quousque nosmet ipsos, & vera nostra ignorabimus bona? Quidquid pro cœlo, & salute conabimur, conabimur nobis, neque cum quopiam fructum partiemur. Hoc depositum est, quod in Dei manibus collocamus, & quod justus judex nobis tantum reservat. Quid! dicebat S. Bernardus scribens Eugenio Papę, qui illius discipulus fuerat. O pater, simul & fili, fierine potest, ut tibi non serves partem earum curarum, quas terrarum regimini impendis: *Soli te negas tibi.* Ne te ipsum totum aliis tradas, meliorem tibi partem reserva: *Esto, & tu de habentibus unus. Idem.*

Omnia ad salutis negotium referenda.

Hęc est conclusio ex illo, quod constituimus, principio profecta, nostrę salutis negotium unicum esse negotium nostrum. Posito igitur hoc principio, quod in dubium vocari non potest, salutem illud unum esse necessarium, de quo loquitur evangelium, reliqua omnia nugas esse, vel urbanitatis officia; regnare, conquirere, ditescere, crescere, familiam locupletare, nisi salus accesserit, vanitas est, & labor inutilis. Ex hoc principio sequitur, licet prącepisset Dominus, ut nosmet ab omni commercio separaremus uni illi vacaturi, ut in nemora, ac saltus secederemus dies, noctesque legem meditaturi, hoc nihilominus a nobis faciendum esse; etenim cętera sunt inutilia. Sed immortales tibi habeantur gratię, multo minora tibi, Domine, sufficiunt, notusti occupationum nostrarum seriem, & humanę societatis ordinem perturbare. Hoc unum prącepisti, ut quin a bonorum nostrorum administratione, familiarumque regimine cessaremus omnia referamus ad te, & omnia uni illi, quod, necessarium est, subjiceremus. Quidquid ad id nos dire-

directe adducit, hoc facere veluti orationem, eleemosynam, christianarum virtutum praxin; quidquid nos inde avellit, hoc evitare quocumque modo conantes, vel si illud commiserimus, pœnitentiæ nostræ argumentum facientes, & demum quidquid nullo in discrimine videtur, eodem ad finem hunc recta intentione utentes. *Idem.*

Omnes dicunt se velle salvari, sed pauci ipsa hoc volunt.

Ut salvemur, efficaciter id velimus, oportet, quemadmodum vult Deus; hoc est, omnia illa expedire debemus, quæ ad id sunt utilia. Deus suos labores, passiones, vitam sanguinemque ad id impendit, nullis pepercit sumptibus, nihil prætermisit. Omnia ad id adhibuit, prædicationes, miracula, præcepta, consilia; quin immo, totum te, Deus meus, ad id impendisti. Tu vero, Auditor, id te velle affirmare potes, qui in vitioso hoc habitu permanes, quem numquam superare conatis? Tu id vis, qui ea omnia, quæ ad salutem tuam pertinent, negligis, qui tua contemnis officia, qui cupiditates tuas frænare, & peccandi occasiones evitare non curas? Te illa velle dicere potes, id quod agis, considerans? Hoccine velle est &c. *Auctor Anonymus.*

Infirma tantum nobis sunt salutis desideria.

Væ nobis, si aliena procuraturi negotia negligimus nostra! Væ & lucernis, quæ absumuntur, & hominibus lucem præferentes dissipantur; & rivulis, qui omnem, quam recipiunt, aquam emittentes nihil retinent sibi! Væ ardentibus simul gelidisque speculis, quæ solares colligunt radios, eosque vel permeare sinunt, vel reflectunt, quin ne unum quidem retineant! quæ calefaciunt quidquid frigidissimum est, molliunt quidquid est durissimum, accendunt, & nihilominus tamquam glacies frigida remanent. *P. le Valois epistola 1. de Recessu.*

Qui reliqua curant negotia, & salutem negligunt.

Quid, aliena negotia tibi erunt negotia; negotia terrena, urbanitatis officia, tibi negotia erunt, & tuæ salutis negotium tibi negotium non erit? Cætera tempus, atque attentionem tuam merebuntur; hoc vero non merebitur, ut illi animum adjicias? An nescis, qua de re hoc agatur in negotio? Nescis hoc agi, ut Deum in æternum habeas amicum, vel inimicum, ut amittas, vel lucreris cœlum, & cum cœlo æternam infiniti boni possessionem, ut merearis, vel vites infernum, & cum inferno malum æque infinitum, atque æternum? Ullumne habes negotium negotio tanti momenti conferendum? Omnia simul negotia tua, omnia mundi totius negotia simul cum hoc uno suntne comparanda? *Idem.*

Differendum non est serio de salutis negotio cogitare.

Ne differas serio ad id animum appellere, neque dicas, te ad conscientiæ tuæ curam primum illud otium traducturum esse, quod tibi tua negotia permiserint. Nisi ipse otium arripueris, nullum tibi permittent negotia; hæc, ut vara vibiam sequitur, mutuo semet sequuntur, atque ita impediunt, ut antequam unum expedias, jam alia quatuor incipiant. Hæc est catena, cujus finem numquam invenias, & ex qua numquam te ipsum extricabis, nisi illam perfregeris: *Abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum catena, prima apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant.* Hoc olim S. Eucherius Valeriano dedit consilium, illudque hodierna die tibi præbere audeo. Abrumpe interminatam hanc sæcularium negotiorum catenam, & deinceps primo, potiorique negotio primæ, potioresque curæ impendantur. *Idem.*

Sine labore salvari non possumus.

Fateor equidem in variis mundi conditionibus magna impedimenta inveniri; absit enim, me velle latam efficere evangelii viam, quæ arcta est. Virtutis semitæ semper asperæ sunt, ac spinis consitæ, quocumque in statu simus; at putamus ne salvari nos posse, quin salus aliquo stet nobis sumptu, & labore? Nihilne cœlum meretur; mundus vero meretur, ut omnia pro ipso fiant? Si opes congerendæ sunt, si principum virorum gratia captanda, quot molestiæ, quot sollicitudines, quot, & quam assiduę curę perferendę sunt? Quot competitores semovendi, quot insidię evitandæ, quot amaritudines sustinendę? Bonum vero omnium prestantissimum, & solum, quod hominem beatum efficere possit, sine labore acquiretur, cum minora, & fluxa mortalis hujus vitę commoda nonnisi constantia, cura, labore comparentur? *Ex collectione orationum Gallicæ Academiæ oblectarum anno 1703. sermone 2.*

De scientia salutis.

Salutis scientia non aliud est, quam cognitio fundamentalium religionis veritatum, & cultus, quem debemus Deo. Hęc rationis dux est, quam pretioso veluti filo perducit per horridum labyrinquo errores nostri illam in singulas horas conjiciunt. Dicere possumus, hanc esse quamdam veluti communicationis lineam Cœlum inter, & terram, rivulum, per quem notiones divinę in cor hominis influunt, scalam, per quam Deus descendit in terram, & homo in cœlum ascendit; verbo, scientia salutis est fides Christiana. Qui crediderit, salvus erit; hęc est doctrina auctoris salutis. *Ex eadem collectione sermone 4.*

Nullum est momentũ, quo salutẽ nostram operari non possimus.

Quinam est stupor noster, & incuria, cum tantopere fragilia consectantes bona, adeo languidi, frigidique sumus in magno negotio, quod unum nos occupare deberet! Cum ardenter secuti consilia hominis, qui nos protegit, ac facilem nobis aperit locupletandi viam, adeo frigide, atque oscitanter respondemus divinæ misericordiæ consiliis, suos nobis thesauros aperientis, atque ut inde hauriamus hortantis? Numquid pro conversione, & sanctificatione nostra infirma, & languentia dumtaxat desideria fovebimus, cum tanto ardore, ac sollicitudine cupiditatibus nostris satisfaciamus, omnesque incompositæ affectionis motus sequamur? Ullane umquam fuit par huic cæcitati? *Ex morali dictionario 1. sermone de misericordia Dei.*

Num tempus ullum est, & ullum momentum, quo salutem meam operari non possim? quare? quia quidquid talentorum, ac bonorum tribuit mihi Deus, statum, in quo sum, tempus, quod possideo, hæc omnia elegit Deus propter meam salutem. Cum hoc per se pateat, nullus dubitandi locus est, quominus his me perfungente muneribus, quæ mihi imposuit providentia, iisque hac mente perfungente, videlicet ejusdem providentiæ consilia adimplendi, tempus, quod impendo, saluti meæ utile sit. Occupatus es, inquis, tuis, publicisque negotiis; hæc tibi non permittunt, ut servias Deo; at repono, tibi hac eadem via eundum esse ad Deum. Nonne Deus te in hoc statu constituit? Opus, quod facis, opus illius est, atque illud facis, quin cogites te illi obedire: qua de re quereris; quandoquidem potes salutem tuam operari, atque ire ad Deum omnibus vitæ tuæ momentis? Hoc nonne magnum nobis afferre debet solatium? Ne unum quidem momentum est; cui Deus salutem meam non adjunxerit; ita ut si illud elabi finam, tot mihi salutis occasiones effugere patiar. *P. de la Rue sermone pro feria 3. hebdomadæ Passionis.*

Alia causamur negotia salutis nostræ negotio non vacantes.

Facile fatemur necesse esse, ut salutem nostram operemur; tota difficultas in hoc sita est, ut ad id tempus inveniamus: hæc enim vulgatior est eorum excusatio, qui de eadem ne cogitant quidem. Negotia, inquiunt, omne tempus nostrum absumunt; at salutis nostræ negotium, negotium non est? Ullum ne aderit, quod propius ad nos pertineat, & quod tanti momenti sit? Heu! proprie loquendo hoc unum nobis negotium est, totaque vita nobis concessa fuit, ut hoc transigeremus, neque brevius temporis spatium ad id requiri Deus existimavit. Si ægrotamus, valetudinis nostræ cura efficit, ut aliam quamlibet curam abjiciamus; si periculum adest litis, vel hæreditatis alicujus amittendæ; si amico, vel consanguineo aliquid accidit triste, menses integros alia quælibet negotia nobis interdicimus, & de hoc uno solliciti sumus. At enim tunc necessitas id postulat, inquies; at nonne æque magna necessitas est ex peccati statu emergere, ac ex morbo convalescere? Nonne æque magna necessitas est, Cœlum non amittere, ac hæreditatem tueri? Quod negotium nostra magis interesse debet, quam salus animæ nostræ? *P. Croiset tomo 1. solitudinis spirit.*

In mundo sumus unice ut salutem nostrã operemur.

Hoc magnum, unicumque est mundi totius negotium; hic extremus est finis noster. Non sumus in terris, ut hoc, vel illud munus obtineamus, ut aliquam assequamur dignitatem, ut in hoc statu niteamus, ut meritis nostris nominis celebritatem nobismet comparemus. Sed vobis non contulit hanc dignitatem Deus, non hanc vobis provinciam credidit, non tot præclaris dotibus exornavit, nisi ut quædam essent veluti adminicula, quorum ope salutem consequeremini, & facilius ad extremum hunc finem perveniretis. Non igitur creati sumus, nisi ut salvemur; videlicet ut evitemus infernum, æternamque pœnam, videlicet ut Paradisum, æternamque felicitatem promereamur. Propter Cœlum facti sumus, neque versamur in terris, nisi tamquam exules, vel ad summum tamquam viatores, quibus singulis diebus lætandum est, itineris, vel exilii sui terminum proprius accede-

cedere intuentibus, Verum itaue nosmet ipsos in terris respicimus? Itane respicimus cœlum? Qui nostrum vivendi genus intueretur, diceretne salutem a nobis tamquam postremum finem haberi? Quilibet scit ita bene disponere media, ut ad suos fines perveniat; quotusquisque igitur salutem sibi pro extremo fine proponit, quandoquidem tam pauci vera eligunt media, per quæ illam consequantur? *Idem*.

Ægre intelligi potest, utrum aliquis salvari velit eo in statu, & munere, in quo est.

Facile esset cognoscere, quem finem mercator in commerciis, litteratus in studiis, aulicus in officiis, & fortis vir in periculis, quibus sese objicit quotidie, sibi proponant. Verum facilene pariter esset cognoscere, quemlibet in statu, ac munere suo id unum serio cogitare, ut salutem suam operetur, Deumque veluti extremum sibi finem proponat? Attamen quid prodest homini ingentes opes congerere, ac mundum universum lucrari, si animæ suæ detrimentum patiatur? Quam enim commutationem facere potest, quæ acceptam reparare possit jacturam? Melius fuisset, illum numquam extitisse, quam salutem suam operatum non fuisse . . . Quid profuit summis, & inauditæ virtutis viris præclare factorum fama totum orbem replesse, atque tot honores adeptos fuisse, si reprobati sunt? Finge tibi hominem morti proximum, qui immensas possederit opes, qui omnibus perfruitus fuerit voluptatibus, qui ad gloriæ, & magnitudinis cumulum evaserit, & qui rebus in omnibus votorum suorum finem assecutus salutis suæ negotium unice neglexerit; & in extremo hoc vitæ exitu ab eo sciscitare: *Quid prodesti?* Quid nunc tibi profunt bona, voluptates, honores? Hæc omnia tibi nunc sunt, quasi numquam fuissent. Sed anima tua, quam amisisti, non præteribit; sed terribiles pœnæ, quæ funesti sunt hujus jacturæ exitus, non præteribunt; sed mortalis mœror ob unicum maximi momenti negotium neglectum non præteribit. *Idem*.

Nisi Deus summum fuerit bonum nostrum, summum nobis malum futurum.

Meminerimus Deum, nisi summum erit bonum nostrum, summum nobis malum futurum. Cæteris quibuscumque rebus, cujuscumque naturæ sint, carere possumus, sed hoc carere bono non possumus. Homo pauper, derelictus in oblivione, & caligine, si salvatur, in omnem æternitatem est felix, & nullius indiget rei: homo dives, potens, beatus, in honore ab omnibus habitus, si damnatur, in omnem æternitatem est miser . . . Heu! Malimus adire periculum animam nostram amittendi, quam amico molestiam aliquam afferendi, quam pauciora filiis bona relinquendi, quam minus in vita emicandi. Quisnam de his rebus omnibus in inferno sensus habebitur? Numquid præteritorum bonorum recordatio magnum non erit damnato supplicium? Bona, quibus exutus fuit, magnum eidem erunt auxilium? Afferunt amici magnam ne eidem gratiam habebunt, eo quod interierit, ut illis gratificaretur? Num ipsi illis habebimus gratiam, qui exiterint nostræ calamitatis causa, vel propter quorum amorem damnati fuerimus? *Idem*.

Stulti sumus, si de salutis nostræ negotio non sumus solliciti.

Heu! quomodonam nostra utimur ratione? Omnium primi vitam eorum damnamus, qui propria negligunt negotia alienis vacaturi; nos vero inanibus detinemur nugis, vel ad summum negotiis eorum, qui nobis superstites futuri sunt, interim unicum negotium nostrum, salutem videlicet negligentes. Si ad opes congerendas sufficeret id serio velle, quis non immensis abundaret divitiis? In nostra situm est potestate sanctos esse, & adhuc ægre id volumus; & ideo proprie sancti non sumus, quia nolumus. Mirum profecto est, hominnes, qui seipsos tantopere, diligunt, adeo parum tanti momenti veritatem attendere; mirum est, homines alioquin adeo sapientes, & qui tantam in vitæ ratione prudentiam præseferunt, ex hoc mundo egredi, quin unquam cogitarint, cur in illum fierint ingressi, & quo post hanc vitam sibi eundum sit; & in morte ob inanem quamdam conversionis speciem acquiescere. *Idem*.

Quantumvis infirmi, semper tamen habemus necessaria ad salutem subsidia.

Verum est nos esse infirmos, occasiones esse frequentes, & per corruptionem, quam peccatum in hominis corde peperit, in malum pronos esse: at habere ne possumus validiora subsidia, ne cadamus, & ut lapsi resurgamus? Unquamne intelleximus, quam facile sit salutem nostram operari, dummodo iis uti velimus subsidiis, quæ ad illam operandam suppetunt nobis? Tot Sacramentis, ubi applicantur nobis merita JESU CHRISTI, Sacramentis, quæ ut ita dicam, nobis sunt saluberrimum divini sanguinis lavacrum, & per quæ anima in omnibus necessitatibus suis maxima nanciscitur adjumenta; Sacramentis, salutaribus pharmacis, inexhaustis omnium gratiarum fontibus. Nonne hæc facilia, & efficacia sunt media, per quæ tuto ad extremum finem nostrum perveniamus? Profecto si in nostra potestate situm fuisset, si nobis fuisset integrum eligere media ad salutem nostram operandam idonea, in hanc mentem incidissemus, ut æque valida, commoda, facilia, ac tot adminicula optaremus? Numquid animo nostro occurrisset id petere, quod in nostri gratiam JESUS CHRISTUS operatus est? Quot gratiæ! quot spiritualia subsidia! quomodo his usi sumus? Quem hactenus fructum ex omnibus hisce gratiis percepimus? Unde conjicere possumus nos inde fructum aliquem recepisse? *Idem*.

In hac vita impendimus tempus in alia quæcumque res, præterquam in salutis negotio.

Cupiditas, & voluptatum amor sunt veluti potissima causa, propter quam homines agunt. Vita universa dividitur in curas propter terrena negotia, & sollicitudines, ut in mundo niteamus, vel ut oblectemur; etenim quoniam alio occupamur objecto? Quot numeras annos in Dei cultu tractos? At quisnam tecum dispensavit, ne reliquos etiam traduceres? Et quod tot annos Deo non servieris, putas ne rationem tibi reddendam non esse dierum singulorum? Negotium, magistratus, pertinaces contentiones, quas vel ambitio, vel cupiditas excitant, uberes fortunæ, consilia magnifica, inanes, futilesque nugæ, hoc est, quidquid nos ab extremo nostro fine dimovet, omnia exhauriunt vota nostra, dies absumunt, totamque occupant vitam. Omnia magni momenti, omnia necessaria putantur, cum nobismet ipsis satisfaciendum est: Deus unus, ut videtur, habetur pro nihilo. Dici nequit, ignorari difficultatem salutis acquirendæ, & quanti referat non damnari; sed omnia negligimus, ne eam perturbemus voluptatem, quam in hac vita gustamus. *P. Croiset*,

Nisi salvatur, quid cætera prosunt?

Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Quid negotiosio huic homini prodest ingentia cumulasse bona; quid nobili huic viro vel in aula, vel in re militari ad primos honorum gradus pervenisse; quid matronæ huic enitescere, & in voluptariis cœtibus primas habere; quid huic magistratui præcipuas obtinuisse dignitates; quid huic Principi inter potentissimos terrarum monarchas haberi, si damnatus est? *Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Idem tomo 2. Considerationum*.

Pauci in mundo de salute sua solliciti sunt.

Ut hæc veritas innotescat, satis est, oculos conjicere in eam rationem, qua in mundo vivimus. Quotusquisque serio magno huic, unicoque vacat negotio? & quin diligentius rem ipsam ad examen voceimus, quomodonam hæc attentio, & cura inquirenda videtur in iis, qui castra sequuntur? Quid enim magis oppositum fingi potest vitæ, quam ducunt? Strepitus, tumultus, confusio, violentia, amor gloriæ, superbia, cupiditas inter cæteros emicandi, atque fortunam suam ulterius, quam fieri possit, provehendi. Neque facilius inter magistratus, & eos, qui juridicundo præsunt illam inveneris. His curæ est res familiaris sua; hominum existimatio, & approbatio ob oculos eorum versatur; & nhil intentatum relinquunt, ne ipsorum in irritum abeant consilia. His curis mens ipsorum occupata est; quid autem magis alienum a cura salutem suam operandi? Si ad inferiores status descendimus, occurrent cupiditates omnino similes. Desiderium familiam locupletandi, atque semet ultra statum suum extollendi fons est injustitiæ, malæ fidei, invidiæque, qui numquam exhauritur. In illis homines vivunt, & moriuntur, unice mercaturæ, negotiis, susque rebus intenti &c. *Abbas Trappensis in moralibus considerationibus in Evangelium S. Lucæ*.

Justi, & peccatores longe aliter in salutis negotio se gerunt.

Justos inter, & peccatores, qui æque in sæculo impliciti sunt, hoc discriminis interest, quod justi primum quidem propter salutem suam operantur, & mox curas, quas ipsorum exigit status, terrenis rebus impendunt: cum e contra peccatores ordinem invertant, ac semper de temporalibus opibus solliciti saluti suæ aliquot dumtaxat tribuant momenta. Illi cœlum terræ præferunt, & quidquid pro mundo faciunt, hoc ipsum referunt ad Deum. Alii cœlo præferunt terram, ac sæpe ad mundum referunt, quod propter Deum facere videntur. Hoc mirum in modum nobis exhibetur in duplici benedictione, quam Isaac largitus est Jacob, & Esau filiis suis; quorum alter quidem prædestinatorum, posterior vero reproborum erat figura. Dixit enim

enim ille filio suo Jacob: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*; ubi cœlestes benedictiones ante terrenas memorantur, ut discamus nobis ante cætera, Dei justitiam, & gratiam esse inquirendam. Esau autem dixit: *De pinguedine terræ, & de rore cæli sit insuper benedictio tua*. Terra præcedit cœlo; ut intelligamus, peccatores in terrenis dumtaxat suam quærere felicitatem; & si Deus in animas eorum salutarem gratiæ rorem infundit, ipsos orientes illius fructus suffocare spinis, atque temporalibus curis, quibus occupantur. Sæpe tamen accidit, quod justi videntes peccatorem prospero fluu rerum cursu, mœrore conficiuntur, eisque suboritur tentatio deserendi spem, quam dæmon admodum incertam illis ostendit. *Specimen sermonum pro 4. post Pentec. Domin.*

Quod pro salute nostra Deus fecit, ostendit, quantum hæc ab ipso capiatur.

Considerate, quid pro salute nostra fecerit Deus, Diceret aliquis, ipsius felicitatem a nostra pendere; adeo occupatus, & sollicitus videtur, ut nos beatos efficiat. Cum fecerit Deus hominem liberum, atque fortis suæ arbitrum, quid non egit, & adhuc agit, ut cor illius sibi conciliet, atque ad suam pertrahat servitutem? Ab eo cor illud petit, illum urget, atque sollicitat, & modo promissionibus, modo minis utitur, nihilque reliquum facit, ut illud possideat. Quorsum autem tanta sollicitudo? Quia in nobis situm est perire, & Deus etiam atque etiam salutem nostram desiderat. Satisne intelleximus umquam redemptionis nostræ mysterium? Umquam ne satis illud comprehendere poterimus? Deus quodammodo se ipsum exhaurit, ut intelligamus, quanti faciat animam nostram, & quanto studio salutem nostram desideret. Credidisset ne aliquis futurum fuisse, ut Deus fieret homo propter hominum eorumdem salutem? Attamen hoc miraculum factum fuit; & quantumcumque illud fuerit, Deus numquam illud satis esse putavit, ut nos cogeret ipsum amare, ac salutem nostram operari. Opus fuit, ut trium ac triginta annorum vita crudelissimo genere mortis clauderetur. Ecce quantum valeat anima nostra, & quid fecerit Deus, ut illius saluti prospiceret. *P. Croiset tomo 1. Recessuum*.

Ipsi salutē nostram operari possumus, & hoc a nobis pendet.

Eo adhuc in statu sumus (immortales Deo gratiæ habeantur) ubi salutem nostram possumus operari; certique sumus, hoc esse tempus, & Deum nobis id faciendi gratiam offerre. Hujus rei argumento esse possunt hæ considerationes, quas facimus, & sensus, quos fovemus. Quis dixit, hoc non esse momentum illud, ex quo salus, & prædestinatio nostra pendet? Certus sum me per sinceram conversionem nunc posse salutem meam certam facere; & saltem dubitandi locus est, quod nisi in præsentiarum convertar, mihi locus ultra non sit. Num tanti saltem animam nostram faciamus, quanti a dæmone fit? Æquum sane esset, nobis tantum sollicitudinis esse ad salutem assequendam, quantum dæmoni est ad cladem inferendam. Turpis hæc quidem est comparatio: attamen verum est, a dæmone animam nostram maximo in pretio haberi; & quantumvis superbus ille sit, nihil adeo turpe, abjectumque est, quod ille ad animam perdendam non conetur; & quantumvis anima diutius resistat, ille numquam cessat, atque recedit. Quanta nos tentat assiduitate? Quam callide levissimis etiam utitur occasionibus, ut nos in interitum pertrahat? Heu! ita ne a dæmone docendi sumus, quanti animam nostram facere debeamus? *Idem*.

Particularis curæ quas gerit Deus de salute nostra.

Particularis cura, quam salutis nostræ gerit Deus, nonne valida esse debet ratio, propter quam & ipsi, quantum in nobis est, ad eamdem debeamus incumbere? Deum, ut ita dicam, negotio huic totum vacare, quasi soli essemus in mundo, & ipse nobis carere non possit? Nos vero validiori egebimus causa, ut cogamur saluti nostræ vacare? Qua sapientia ille omnium vitæ nostræ momentorum rationem habuit ab ipso usque nostræ nativitatis exordio? Quam singularis fuit ejus in œconomia salutis nostræ providentia? Numquid parva gratia est, ex fidelibus parentibus hausisse vitam, cum tot alii ex infidelibus oriantur? An minor est, educatos fuisse in ecclesiæ sinu, in quem numquam fuissemus ingressi, si in errore alti, ac nutriti fuissemus? . . . . . Putamus, hæc omnia fortuito accidisse; videbimus aliquando, hunc fuisse providentiæ singularis effectum. *Idem*.

Salus est unā illud quod est necessarium.

Certum est, quidquid in mundo bonum vocatur, esse inutile, tantum abest, quod sit necessarium. Heu! Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Marc. 8. Nihil profecto: & tandem aliquando, licet nimis sero hoc fatebitur reprobus, & dicet ut illi, de quibus in Sapientia sermo est: Heu! quodnam bonorum genus, quod nobis tot mala conflavit, & quod, ubi nos in vita nocentes fecerit, miseros facit post mortem? *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Sap. 5. Auctor Anonymus.

Necesse est saluti suæ consulere, quia necesse est vel felicem vel infelicem esse in æternum.

Si inter salutem, atque damnationem medium aliquod daretur, alicui propositioni aures adhibere possemus, & nosmet cura liberare: sed certissime alterutra eligenda est, & quemadmodum nemo est, qui assentiri possit æternitati pœnarum, omnino adnitendum est, ut mercedis æternitatem consequamur. O felicem, sed formidabilem necessitatem! felicem quidem, arctiori enim modo nos cogit bonorum omnium maximum procurare; formidabilem vero; si enim huic desumus officio, negligentia nostra malorum omnium maximo punienda est. Esto etiam, si hac liberari cura possemus illam sapientis alicujus viri sollicitudini committentes, tunc fide ac prudentia illius freti quiescere possemus; sed obligatio hæc personalis est, & monarchæ, quorum imperio subditorum omnium parent voluntates, qui subditorum omnium armis suam ditionem tuentur, & qui ad corporis custodiam multo satellite stipati sunt, ne unum quidem adhibere hominem possunt pro salute sua. Immo illi ipsi, qui nobiscum hanc partiuntur obligationem, illam non imminuunt, sed augent, & quo magis pro salute nostra laborant, eo magis ipsi cum illis curam nostram tenemur conjungere, *Idem*.

Salutis operandæ necessitas in morte tantum modo cessat.

Salutis obligatio non inevitabilis solum, & personalis est, sed etiam ita durat, ut nonnisi cum morte cessare possit. Licet incœperitis hoc opus, ex quo ratio fide illustrata illius necessitatem vos docuit; licet in hoc labore consenueritis; eventus semper erit incertus, atque semper vobis vigilandum erit justo sensu timoris. Non magis certi sumus nostræ felicitatis, quam Apostolus, qui suæ eam omnem, quæ hoc in mundo haberi potest, certitudinem habuit: nihlominus magnus ille vir electus a Deo contremiscit; & eo metuente ne reproborum numero accenseatur, & corporis sui castigatione animæ suæ pœnam prævertere studente, nos in secreta salutis nostræ securitate vivimus. Quo majus instat periculum, eo minus exitum formidamus; & quasi futuri secretum nobis exploratum esset, nobismet persuademus non defuturum tempus, quo salutem operemur, neque defutura subsidia, quibus eam consequamur. *Idem*.

Salutis nostræ cura esse debet assidua, & non intermissa.

Fateor equidem, nos posse, immo etiam debere alias omnes intercidere occupationes, seu ad spiritum recreandum, seu ad vires corporis reficiendas; sed hoc negotium ejus est generis, quod ne minimam quidem patitur intermissionem. Momentorum nostrorum novissimum nobis absconditum est arcano Providentiæ consilio, ut omnia observemus, & ne unum quidem vacet suspicione. Illud, quod fortasse negligemus, extremum erit vitæ nostræ, ac ex illo nostræ æternitatis exitus pendebit. Negotium hoc nulla causa, quæcumque tandem illa sit, potest interpellari; etenim cum nullum sit momentum, quod illi fatale esse non possit, ita nullum in vita esse debet exercitium, quod illi esse non debeat conforme, ac subordinatum. Hoc unicum illud negotium est sine intermissione procurandum; alia sibimet vicissim succedunt; cumque simul esse omnia nequeant, inde fit, quod simul omnia procurari non possunt. Hoc autem, tantum abest, quod aliis afferat impedimentum, ut immo eorum conferat perfectioni; hoc illis imprimit characterem dignitatis, ac meriti, quo ad supernaturalem statum attolluntur, atque æterna mercede fiunt digna. *Idem*.

Quid pro salute faciendum esset.

Quid pro salute faciendum esset, & quid facimus? Quid esset faciendum? Omnia proculdubio non solum ad imitationem Salvatoris, qui hoc consilio omnia sustinuit; sed etiam ad imitationem tot Sanctorum, qui omnia reliquerunt, omnia conati sunt, omnia pertulerunt; qui nec nobis, neque laboribus pepercerunt; & qui per labores, quos passi sunt, prælia, quæ sustinuerunt, cruciatus, quos pertulerunt, offenderunt nobis, quantopere conquirenda sit hæc vita beata. Sed quomodo incedimus ipsi in ea via, quam summi illi viri sudoribus, ac sanguine irrigarunt? Ab hoc sapienti exemplo abhorrentes facimus, quidquid nobis

bis ad interitum conferre potest, & nihil, quod saluti nostræ profuturum sit. Omnia propter mundum, nihil propter æternitatem. Omnia ut opes acquiramus, ut honores adipiscamur, nihil ut solidas, & veras divitias mereamur: omnia denique, ut cupiditatem expleamus, nihil, ut æternam beatitudinem possideamus. Profecto insignis quidam Sanctitate vir ait, si propter Deum faceremus, quod pro mundo non detrectamus, ad summum sanctitatis gradum perveniremus. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Unicum objectum curarum Filii Dei in mundo fuit salutis nostræ negotium.

Sicut unus dumtaxat finis placet Deo, unum dumtaxat negotium, quo ille causa nostri occupetur, est salutis nostræ negotium. Varii illi effectus, quos parit, illi non sunt nisi tamquam veluti media ad hoc ipsum consilium, vel instrumenta ad hoc opus. Cum misit filium suum in mundum, unum dumtaxat illi imperavit; & unum hoc non aliud fuit, quam nostræ salutis negotium tamquam suæ magnitudini par, & utile gloriæ suæ. Quamvis homines sexcentis in operibus distentos adhibeat, vult tamen uni tantum rei in terris vacare, neque alteri negotio, quam æternitatis implicari. Huc omnes intendendæ sunt curæ, cumque in tanta officiorum varietate hic nobis unus propositus finis sit, hic etiam unus erit ille, qui totam Dei sapientiam meruit occupare sive ab æterno, ut illius consilium conciperet, sive in tempore, ut illud opere complendum curaret. Tamen aliis quibuscumque rebus intenti, de hac numquam fere solliciti sumus, & tantum abest, quod uni illi vacemus, ut etiam nullo illam in discrimine habere videamur. Non deest nobis tempus, quod maxime inutilibus occupationibus impendamus; deest autem, quod illi tribuamus, quæ inevitabilis est necessitatis, æternique momenti. Semper movemur, quasi versus beatum hunc terminum progrediamur, ubi quæsitam requiem possumus invenire; & numquam solliciti de una illa re, quæ omnes curas nostras exquirit, animum obruimus infinitis, inutilibusque occupationibus, ac tandem ex hoc orbe discedimus, quin sciamus, cur Deus nos huc inquilinos posuerit. *Ex octavo sermone Academiæ anno 1675.*

Quamvis salutis negotium unicum sit necessarium, tamen in terris omnium vacamus.

Licet obiter animum velimus advertere ad officia, quibus tamquam Christiani tenemur, fatendum est, præcipuum, immo etiam unicum hoc esse, ut videlicet saluti nostræ consulamus. Quis tamen in terris est occupatio nostra? Sane est sexcentis, alienisque implicari curis, quæ efficiunt, ut obliviscamur nostri, prout curiositas, utilitas, vel ambitio nos urgent. De objectis ferimur in obiecta, quin in illo immoremur, quod nobis satisfacere potest, & fessi consectando ea bona, quæ nos semper egenos relinquunt, tandem nanciscimur, nos inania phantasmata persecutos fuisse, & cursus nostros in præceps tendisse. Per sexcenta pericula ad majora pericula pervenimus, & omnia in interitum nostrum facientes, nihil facimus, ut salvemur. Tamen in mundo nihil nostra salute nobis esse debet antiquius, vel ut planius loquamur, nullum præter illam negotium habemus. Hoc unicum est, ideoque necessarium, vel potius unum necessarium. *Sermo octavus Academiæ. Anno 1675.*

Omnes negotiis obruti sunt, & nemo fere salutis suæ negotio vacare videtur. Quascumque domos ingrediamini, ibi plurima invenietis negotia; singulos homines percontamini, omnes negotiosos videbitis, & si cum illis fueritis collocuti, sæpissime die negotiis suis verba facient, quin umquam, vel fere numquam incidat sermo de summo æternitatis negotio. Lis, magistratus, rei domesticæ cura, exercitus imperium, provinciæ alicujus præfectura, magna appellantur negotia, & nihilominus in mundo nullum verum est negotium, quam illud æternæ salutis, seu quod cætera cum hoc comparata nullo pacto gravia sint existimanda, seu quod ad hoc relata, tamquam ad præcipuum finem suum, varias curas parere non debent, omnes enim simul eamdem efficere debent occupationem. *Ex eodem sermone.*

Dei Filius ita salutem nostram desiderat, ut illius medii esse voluerit solus est ejusdem negotium.

Si verum est omne alicujus negotii momentum positum esse in finis illius, qui propositus est, excellentia, & in medii, quod adhibetur, perfectione, fieri nequit, ut ullum sit cum salutis nostræ negotio comparandum, in quo Deus non solum est finis, quem quærimus, verum etiam medium, quod sequimur ad illum feliciter perventuri. Denique ad Deum contendimus per ipsum Deum, qui voluit ad nos usque descendere, ut ad illum feliciter perveniremus. Ipse est, ut de ipso testatur, via, quæ nos ad beatum finem nostrum adducit, & mirabili infinitæ sapientiæ suæ consilio itineris nostri terminum nanciscimur in via, quæ nos illuc adducit. Vult, ut illud ipsum, quod in æternæ salutis nostræ negotio, finis noster est, sit quoque medium; ut hoc non solum unicum nobis sit in terris negotium, verum etiam negotium individuum, quod non partiatur cor nostrum inter duo objecta; quoniam diversa non sunt, neque ab altero secedere possimus, cum immoramur in altero. *Ex eodem sermone.*

Mortales plerumque eos otiosos vocant, quos nihil agentes vident, vel qui eo tempore dormiunt, quod in laboribus insumendum est. Sed Spiritus Sanctus e contra hoc nomine vocat eos omnes, quos mundus actuosos, & vigilantes existimat, si nihil faciunt, vel si parum nimis faciunt ad salutem acquirendam; hoc enim vere est in otium labi, & in inertia languescere, cum deficit ardor ad magnum illud negotium procurandum, a quo felix, vel infelix pendet æternitas. Solijustitiæ non lucet, nisi ut ad salutem nostram adlaboremus, nos in laboribus nostris illuminans; & pleno meridie dormire est, se ipso tantum, terræque hujus bonis occupari, *Usquequo, piger, dormies?* Sapiens Prov. 6. ait; *quando consurges a somno tuo?* Hoc veris otiosis hæc ait, excitaturus illos e mortali sopore, in quo sunt, circa ea, quæ ad salutem ipsorum pertinent. Vigilare pro mundi bonis acquirendis, dormire vocat; neque ambigit soporis nomine appellare universa illa negotia, quibus tanta sollicitudine vacant, & quæ nihilo minus coram Deo nihil sunt nisi meræ nugæ. *Ex sermone quinto Academiæ anno 1711.*

Nostræ salutis negotium tanti momenti est, ut hunc uni Dei Filius in terris vacaverit.

Christianus homo, qui utiliter saluti suæ studet cooperari, huic unico, summæque necessitatis negotio vacare debet, & quodcumque aliud gerat, semper hoc ob illius oculos debet obversari. Hac mente religiosa parcitate temporis sedulissimam procurare debet œconomiam; omnia enim momenta, quibus æternitas comparari potest, sunt pretiosa; ventura quippe tandem est dies, qua nihil amplius facere poterit; & quia in mortis adventum differre unici hujus necessarii negotii curas idem præter propter est ac puteum effodere ad aquam hauriendam tunc, cum tota domus jam conflagraret. Sed una fides nos persuadere potest de iis, quæ sensibus nostris, ac menti sunt adeo contraria, & unus Dei spiritus potest nobis in antecessum illius specimen præbere. Numquid nimis dicere, aut imponere est, toties repetere, unum dumtaxat esse necessarium? Hoc tamen veritas ipsa testatum nobis reliquit: Luc. 10. *Porro unum est necessarium.* An fidem verbis illius habere non decet? Hoc ille nobis imperat, hoc præceptum est adeo absolutæ necessitatis, ut velle ab eo se dispensare, idem sit ac gloriæ sibi scelus suum vertendo oblectari sua cœcitate, cui par inveniri non potest, & se inevitabili æterneque calamitati subjicere. *Ex eodem sermone.*

Dei Filio nostra salus ita cordi est, ut hoc sibi negotium depoposcerit, ut illius necessitatem nobis commendaret ex personæ dignitate, quæ illud sibi procurandum assumpserat. Immo taliter in hoc opus incubuit, ut totus illi vacaverit, quemadmodum jubet nos quoque in illud omnes ætatis, & industriæ nervos contendere. Ad id omnia aggressus, & omnia passus est, ut inspiraret nobis vim ad omnes illius difficultates superandas, obicesque infringendos. Quisnam salutis æternæ pretium potest intelligere? quandoquidem hæc infinita sapientia, quæ cujuscumque rei meritum perfecte cognoscit, nulli rei pepercit, neque dubitavit ob hunc finem suam requiem, honorem, vitamque sacrificare? Nos tamen hoc nullo in discrimine habemus, licet hoc unicum & proprium sit negotium; & quin laboremus sub adeo severis conditionibus, sub quibus divina hæc providentia, cui nihil æque curæ fuit, ac utilitas nostra, seriam aliquam cogitationem impendere detrectamus, quasi nostram requiem perturbare metueremus requiem æternam nobismet comparaturi; & quasi magnum hoc opus, quod Dei Filium exercuit, donec in terris versatus est, dignum non esset, cui vitæ nostræ momentum

tum impendeteretur. *Sermo octavus Academiæ anni 1675.*

Sæculi prudentia quam cæca es in luminibus tuis! quam parum tuis commodis moveris? Usquequo adversaberis sapientiæ Dei, qui certissimus est cauon vitæ tuæ? Quousque nullo tibi erit in discrimine salus tua, quod unicum est negotium, cui quam sedulo tibi serviendum est? Si tua consulentibus oracula adeo scita præbes consilia ad præsens tempus spectantia, numquam meliora præbebis monita de futuris, quæ tibi prævisionibus tuis videntur indigna? Si adeo concinna adhibes media, ut tibi tua benevertant molimina, deferenda ne est unica via, quæ te ad finem extremum adducit? Et si adeo apte pronuncias de humanis, perituisque rebus, erisne semper injusta in judiciis, quæ de divinis, æternisque rebus profers? Ingentes curæ efficiunt, ut minores cessent, & cum magni momenti negotium nos urget, ea, quæ minora sunt, fastidimus. Æquum est, ut quæ majoris sunt ponderis primum in cogitationibus nostris locum obtineant: & juxta hoc principium, quod nemo umquam in dubium revocare potest, opus est, ut salutis nostræ negotium cæteris quibuscumque præpolleat, & mentes nostras occupet, utpote non præcipuum dumtaxat, sed etiam unicum juxta ipsum Salvatoris verbum: *porro unum est necessarium, Ex eodem sermone.*

Ut speremus omnia nobis prospere eventura uni tantum rei saluti videlicet invigilandum est.

Si quodcumque facimus refertur ad finem propter quem facti sumus, licet sexcentis, iisque variis impediremur curis, unum tamen semper efficeremus; & sicuti secretum efficiendi, ut omnia quæ aggredimur, benevertant, est uni tantum vacare; salutis nostræ negotium nonnisi prospere cessurum est, si quemadmodum tota est occupatio Dei, ita nostra quoque sit. Verum si nos hoc principio operamur, & si quin hunc nobis finem proponamus in omnibus actionibus nostris, eas ob ambitionem, utilitatem, vel aliam inordinatam cupiditatem aggredimur, fateor nos numquam sollicitudinibus, ac impedimentis vacuos futuros; sed non fatebor umquam nos occupatos, & negotiosos esse; quia nihil agemus, quod ad finem, statumque nostrum referatur. Non agemus ut homines decet, multoque minus, ut decet Christianos: constat enim hominem tunc humano more agere, cum agit secundum eum finem, propter quem est homo. At certissime constat eum non alium ob finem hominis naturam accepisse, nisi ut operetur salutem suam; hinc igitur Sapiens Eccl. 12. arguet, ex una hac re tantum cognosci posse, utrum sit homo: *hoc est enim omnis homo*; & addo, nisi magno huic operi fuerit cooperatus, quodcumque in mundo operetur, nihil agere congruum statui præexcellenti, ad quem per Christianismi gratiam evectus est. *Ex eodem sermone octavo.*

Quæ minuta sunt, magnorum virorum curæ esse nequeunt. Quod privati alicujus negotium est, hoc Principis esse non potest. Ita sicuti gratia fidelem attollit super quidquid præstantissimum est in natura, nosque destinat immortalibus coronis, quæ toto cœlo solidiores sunt illis, quæ in capitibus Regum renident: si temporalibus tantum rebus studemus, si curæ nostræ non referuntur ad fines longe sublimiores, quam sæcularium curæ, nihil agimus dignum nobis, & conditioni nostræ consentaneum. Inter labores ipsos otiamur, & cum maxime sæcularibus negotiis distinemur, jure illud Evangelicum probrum Matth. 20. meremur: *Quid statis hic tota die otiosi.* Re enim vera, quæcumque sit occupatio nostra, quodcumque negotium agamus, nisi salutis nostræ cura solliciti sumus, semper *otiosi* possumus appellari. *Ibidem.*

Quodcumque sit negotium nostrum, omnes labores nostri inriti sunt, nisi ad salutem nostram referantur.

Esto quidem præstantissima opera aggressi simus, maximis simus negotiis exerciti, demandatasque difficiles provincias summa cum laude obierimus, præclara in lucem ediderimus opera, posteris fruendos reliquerimus fructus vigiliarum nostrarum tamquam pretiosa ingeniorum nostrorum hæreditatem. Ethnici adhuc plura fecerunt, & nihilominus nihil fecisse censentur ab eo, penes quem est omnium humanarum actionum arbitrium. Quo enim reipsa evasere ambitiosa illorum molimina? quid ex eorum laboribus reliquum est, nisi nomen inane, & cinis. Si adhuc sunt in honore in terris, num ideo minus torquentur in inferis? *Laudantur ubi non sunt; cruciantur, ubi sunt*, quidam Ecclesiæ pater inquit; & quod primas in mundo sedes occupavere, num aliquem servant gradum in eorum squalore locorum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ut ergo utiliter agatur, non satis est ea facere, quæ nobis nequeunt prodesse magis iis, quibus infideles, & reprobi sese exercuerunt. Ad propositum nobis finem est contendendum, & ad hunc omnia studia, vigiliæque nostræ transferenda. Si huic muneri desumus, laborum nostrorum fructum amittimus, nihilque ex eo retinemus; & tantum abest, quod aliquam sperare valeamus mercedem ab illo, qui de meritis judicat, & qui coronas distribuit, ut non nisi probra, & anathemata ab eo expectare debeamus. *Ex eodem octavo sermone.*

Inter affectuum procellas periculum est, ut pereamus, nisi de salute nostra fuerimus solliciti.

Quis gloriari potest se aliquid boni fecisse, ubi neglexit id facere, quod unice erat faciendum, qui videlicet saluti suæ operatus non est. Si eo momento, quo pugna conserenda est, exercitus imperator aleæ vacet, numquid pugnam hanc suis expeditionibus accensebit? Et quodcumque ex alea referat lucrum, si victus fuerit, quomodonam factum suum poterit excusare? Si nostræ curiositati & cupiditati satisfacturi hoc summæ necessitatis negotium deseruerimus, credemus ne aliquid memoria dignum a nobis patratum fuisse? Cum ob inanem aliquam causam Dominum dereliquimus, & pro modico thure æternitatem gloriæ vendidimus, numquid præclarum aliquod, & utile factum nos gessisse putabimus? Quam tristis illa est negotiatio, Tertullianus ait, in qua nihil lucrantes amittimus omnia. Et licet omnem terrarum orbem lucrati fuissemus, quam funestum esset lucrum, si cœlum, salutemque animæ nostræ amitteremus, quæ nobis antiquior esse debet, quam si universum terrarum orbem fuissemus adepti. *Idem sermo.*

Quibuscumque curis impediti simus, ne potemus, nos esse negotiosos, nisi saluti nostræ invigilemus, nisi semper hac mente operemur. Hæc esse debet præcipua omnium actionum causa, & unicus scopus motuum nostrorum. Unica nautæ procella jactati cura est omnes industriæ suæ nervos contendere, ut navim tueatur incolumem; homo vero, qui in hoc mundo est tamquam in mari agitato omni ventorum genere, navim agens omnibus gratiæ thesauris onustam, ut ita dicam, inter cupiditatum fluctus, vitiorumque scopulos, in tanto rerum omnium discrimine alteri cuipiam, quam salutis suæ negotio vacare potest? Hoc non solum unicum est negotium, nobis utile, verum unicum etiam est, quod sit necessarium. *Porro unum est necessarium. Sermo idem.*

Cætera quæcumque negotia ultro, & sine ulla necessitate aggredimur, & inde nobis integrum est emergendi vel per pacta, vel alia quapiam ratione. Sed necessitas salutem operandi nostram nobiscum nascitur, & moritur, Nullus est prætextus, qui nos excuset, nulla ratio, quæ nos valeat dispensare. Immo neque ullum suppetit in hoc negotio consilium, quod capiamus, & propter ineluctabilem necessitatem æternum beati, vel miseri esse debemus. Si quod esset medium salutem inter, æternamque damnationem, aliquam audire possemus conditionem, & ex periculo emergere; sed necessario alterum eligendum est; cumque nemo sit, qui æternitati supplicii valeat acquiescere, omnino necesse est laboribus ad æternitatem remunerationis obtinendam exerceri. Beatam, sed formidabilem necessitatem! Beatam quidem, arctissimo quippe modo nos cogit, ut maximum bonorum omnium nobis met procuremus; formidabilem vero, si enim huic muneri desumus, negligentia terrimo malorum omnium erit punienda. *Ex eodem sermone.*

Obligatio salutem operandi suæ est personalis, & singulorum cooperationem exquirit.

Obligatio salutem operandi suæ est personalis, & Reges, qui tot mortalium opera utuntur, ut suas exequantur voluntates, & tot adhibent corporis sui custodes ut tuto vivant, ne unum quidem hominem ad animarum suarum salutem possunt adhibere. Illi ipsi, qui nobiscum hanc partiuntur obligationem, illam augent, non minuunt, & quo magis saluti nostræ inserviunt, eo magis urgent, ut cum illis simul cooperemur. Quia illis hujus ratio reddenda est, non ideo illis sponsores, & vades habendi sunt, & si suo defuerint muneri, non vetant, ne simul cum ipsis damnemur. Salvator ipse, qui tantopere saluti nostræ consuluit, opus hoc imperfectum reliquit, ut cutam nobiscum divideret, & per cooperationem nostram perficeret, quod per gratiam suam orsus est. Hinc gloriatur Apostolus se adimplere ea, quæ desunt passionum Christi in carne sua: & Patres nobis prædestinationis secretum detegentes, dicunt, licet Deus per bonitatem suam nos destinet gloriæ exi-

exigere tamen merita nostra, non tamquam amoris sui causas, sed tamquam conditiones consilio suo necessarias. *Sermo octavus Academiæ anni 1675.*

Salutis negotium unicum illud negotium est, cui vacare possumus, & debemus sine intermissione, & mora. Cætera sibi succedunt, cumque simul eodemque tempore illis mens adjungi minime posset, nonnisi singulis vacare licet. Sed tantum abest, quod hoc aliis sit impedimento, ut immo ad eorum perfectionem nonnihil conferat, & per societatem, quam cum illis contrahi referens illa ad eum finem, quod ipsum sibi proponit, imprimit iisdem characterem dignitatis, ac meriti, quo ad supernaturalem statum attolluntur, & digna fiunt æternis remunerationibus. Itaque sicuti operam ludit, qui ad hoc negotium minime incumbit, ita omnia facit, qui huic præ aliis animum appellit, atque huic vacat, quidquid simul agat. Cum id agimus, ut salvemur, longe majora procuramus negotia, quam reges, atque Monarchæ: longe sublimiores detegimus veritates, quam Philosophi; longe ditiores victorias referimus, quam gentium domitores; & per hoc unum opus melius nancisciмur immortalitatis comparandæ secretum, quam omnes Principes mundi; verum etiam beatam nobismet comparamus felicitatem, ad quam omnes mundi opes, honoresque perducere nequeunt. *Sermo idem.*

Quam miser ille est qui suam negligit salutem quam tam vili pretio sibi potest comparare.

Mundi Principes, ob quorum oculos in omnibus actionibus vestris semper commoda vestra versantur, quomodo nam æternitatis negotium vos adeo parum afficit, quod omni dubio procul longe gravissimum est? Si de minoribus estis solliciti, ne contemnatis majora. Si tantopere studetis vestrorum corporum, quæ velitis, nolitis, in cineres redigenda sunt, incolumitati memento animarum vestrarum, quæ sunt immortales. Verbo; si incessanter negotiis vestris invigilatis, scitote, non aliud vobis esse negotium; quam illud æternæ salutis. Hoc unicum est: sit igitur oportet unicus laborum vestrorum finis, unicumque curarum vestrarum argumentum. Necessarium est; credendum est igitur necessitati, & laudandum optimum Dei consilium, quo nobis adeo arctam injecit necessitatem fluxis laboribus mercedem æternam promerendi. *Idem.*

Quomodo incedimus ipsi in salutis via, quam summi illi primævæ ecclesiæ viri sudoribus suis irrigarunt, suoque cruore imbuerunt. A pulcherrimo eorum exemplo abhorrentes ea facimus omnia quæ ad nostrum conferre possunt interitum, & nihil quod saluti nostræ proficiat; omnia pro mundo, nihil pro æternitate; omnia ad terrenum aliquod bonum, honoremque in terris obtinendum, nihil ad solidos honores, verasque divitias promerendas; omnia ut ingratæ alicui creaturæ placeamus, nihil placituri pulcherrimæ illi formæ, cujus beata possessio semper est pretium amoris nostri, omnia denique satisfacturi cupiditati, quæ spe quarumdam oblectationum inanium, sexcentis, verisque cruciatibus nos vexat; nihil, ut eam exerceamus virtutem, quæ sub imagine severitatis sexcentas delicias complectitur. Profecto si propter Deum ea faceremus, quæ pro mundo aggredimur facienda, ad altissimum sanctitatis apicem pertingeremus. At nonne ploranda est nostra conditio, quandoquidem eum magnam sanctitatis laudem adipisci valeamus minori conatu, quam quem exerimus, ut insignes rei efficiamur; non alium ex laboribus nostris fructum percipimus, nisi curas, doloresque immortales, & sexcentis impliciti negotiis, ut suppliciorum æternitate involvamur, deserimus illud unum, quod infinitis cumulare nos potest deliciis? *Ex eodem sermone.*

Cæcitas nostra deplorabilis est, quod gloriæ honoribusque intenti nostram salutem negligimus.

Funesta homini Christiano cæcitas est non videre, salutem illud esse, quod unum necessarium est, ideoque unum, quod curas, & studia nostra meretur. Attamen nihil hoc vulgatius in terris est. Omnia amamus, omnia habemus in pretio, & salutem dumtaxat nostram contemnimus. Inhæremus præsenti, quod finem habiturum est, & beatum illud negligimus futurum, quod nullum habebit finem, & incomprehensibili cordis deerratione, consilia nostra intra breves temporis cancellos continemus, licet spiritus noster beatam speret æternitatem . . . Si verum est nos omnes peregrinos esse, quemadmodum sacra docent biblia Paral. 2. *Peregrini sumus coram te, sicut omnes patres nostri*: Quis nostrum de hujus itineris termino sollicitus est? Quivis ambulat in via, quam sua illi fortuna, vel honor ostendit; suæ tantum utilitati, vel gloriæ studet; vel incremento. Suis inhæret negotiis, inanibusque meditamentis, quin quo hæc omnia tendant consideret; & quia nimis cordis sui viam sequi vult, mentis suæ errorem sequitur. Quam procul abhorremus a primorum fidelium perfectione, qui inhorrentia recedebant deserta, & in remotissimos montes, Deo unice, ac saluti suæ vacaturi! Numquid minor nobis necessitas adest, quam illis, saluti nostræ consulendi? Illi nil scire volebant, nisi quod ad ipsorum salutem spectabat; nos autem nihil ignorare volumus, nisi quod eidem posset prodesse. *Sermo nonus Academiæ anno 1675.*

Servitus mundi gravior est quam olim Hebræorum in Ægypto.

Tanta erat filiorum Israel Ægyptiæ servitutis tempore animi infractio, ut Moysem sibi de promissionis terra loquentem audire non possent. Sæcularium sub terrenorum bonorum cura, ac pondere viventium ea levior non est, licet minus sentiatur. Difficile est ea in mentis infractione, quæ plerumque hunc statum subsequitur, eam obtinere spiritus libertatem, quæ necessaria est, ut de cœlo cogitent; & oleum operamque perdit, qui apud fideles sub terrenarum curarum pondere squallentes de salute habet sermonem. Cura, quam impendit ad illos lucrandos, cæteras curas abstulit; cogitatio hæc alias attrahit cogitationes, nihil in animo Christiani relinquit, quod non in suum usum convertat, tamquam radix funesta, quæ ad se attrahit humorem telluris proximæ, ut fructus suos ferat, & alat. Hæc terrenis bonis adhæsio non alias nisi avaritiæ cogitationes immittit, quæ omnes actiones nostras corrumpunt, & nos a salutis cura deterrent. *Sermo nonus Academiæ anni 1675.*

Quid sit operari salutem suam.

Salutem suam operari est, efficaciter a peccandi occasionibus abhorrere, sine intermissione suas cupiditates subigere, incessanter concupiscentiæ desideria cohibere. Salutem suam operari est pertinaciter evangelii placitis inhærere, totamque vitæ suæ rationem juxta purissimam JESU CHRISTI disciplinam componere. Mundus est illius inimicus; ideoque hoc est æternum mundo bellum indicere. Denique salutem suam operari est, exhaurire cor suum creatarum rerum amore, & amore nostrummet ipsorum, ut amore prælationis, ac re ipsa unice diligamus Deum infinite amabilem, & infinite nos amantem. Hoc est salutem tantum suam in pretio habere, & salutis nostræ negotium, tamquam magnum, unicumque negotium nostrum respicere, quod unum meretur curam, atque attentionem nostram, & quod ut ita dicam unice pendet ab hac nostra attentione. *P. Croiset in Exercitationibus Asceticis pro singulis anni diebus.*

Salutis momentum.

Non agitur de lite, a qua universæ tuæ pendeant opes, non agitur de felicitate vel miseria ad vitæ hujus usque finem permansura: negotium hoc magni quidem esset momenti, non tamen infiniti; calamitosum esse, ad mortem usque miseriam pati, magnum utique malum esset, non tamen sine reditus spe. Agitur de æterna felicitate vel ærumna; agitur, ut vel æternum possideas Deum in beatorum sede, vel præceps dejiciaris in infernum, sine ulla spe æternis flammis addictus. Ecce quid agatur, cum de salutis negotio sermo est. Numquid hoc negotium nullius est momenti, & non omnes animi nostri curas meretur? *Idem.*

Nolite umquam, fideles, oblivisci præclari hujus documenti, quod magnus Apostolus nobis in epistola ad Philippens. 2. reliquit: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Hanc ob causam voluit Deus nos sortis nostræ incertos relinquere. Cavete tamen, ne nimius vos obruat metus a dæmone immissus, qui semper in animi dejectionem, ac desperationem degenerat. Nobis timendum est, sed timore leni, tranquillo, filiali, indefinenter reminiscentes reprobationem semper verum esse opus nostrum; nescire nos, utrum Deus certissime omnia peccata nostra dimiserit, quorum nos vere pœnituit. Illud verum est indicium, Deum certe omnia nobis dimisisse peccata, cum nos vitæ rationem commutamus. Nihil melius hanc veniam probat, quam perseverans conversio. Licet incertus sis, utrum in gratiæ statu sis, in uno te est, moraliter certum esse, te esse in gratia, si perfecte ex hoc ipso temporis puncto convertaris. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus &c.*

Cur jugiter laborandum, ut saluti nostræ consulamus.

Nullum est momentum, quo salutem vestram operari non debeatis; seu quod Deus, cujus oculos semper in vos intentus est, ad hunc dumtaxat finem causa vestra operetur: incessanter cogitat de vobis, ut vos in cœlo beatos efficiat per vitæ labores: æquum igitur

igitur est, ut vos vestræ felicitati sitis intenti, quandoquidem & ille intentus est; seu quod teste S. Petro Apostolo in 1. ep. *adversarius noster diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*: justum est ergo, ut quantum ille sollicitus est, ut nos perdat, tantumdem solliciti simus ipsi, ut saluti nostræ prospiciamus; seu tandem quod nos admonet Dominus, ut semper, & sine intermissione vigilemus: *Videte, vigilate, orate*, Marc. 13. *oportet semper orare, & numquam deficere*. Luc. 10. Vigilantia, & oratio, quæ non aliud est, quam jugis attentio tam in fugiendis iis, quæ saluti nocere possunt, quam in iis quærendis, & diligenter servandis, quæ eidem possunt opitulari. *P. de la Rue in Quadragesima.*

Dominus libenter Regnum suum nobis largitur; *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. 1. Tim. 2. Cur ergo Salvator de Regno cœlorum verba faciens hac utitur locutione? *Violenti rapiunt illud*. In generali corruptione, in qua versabantur homines, antequam JESU CHRISTI Evangelium illis colloqueret, videbatur Deus destinare cœlum exiguo mortalium numero; unus tantum erat populus, qui ad illud sibi jus esse posset afferere. Sed post Domini adventum Regnum cœlorum, absit invidia verbo, generali obnoxium est expugnationi, & patet omnibus vim illi facientibus, sive Judæi sint, sive Græci, sive Romani. Agitur modo tantum de fortitudine oppugnantium, ac rapientium illud, sicuti olim egit Centurio, mulier Chananæa, ac tot Gentiles, qui non æquarunt dumtaxat Hebræorum fidem, sed qui gloriam quoque præripuerunt, quod præ illis JESU CHRISTI prædicationes dociliores præbuere. *Multi ab oriente & ab occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum: Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores*. Matth. 8. Hæc prima est horum verborum sententia: *Regnum cœlorum vim patitur*; videlicet Cœlum non esse amplius paratum, ut olim videbatur, uni populo, sed patere illis omnibus, qui vim adhibent, ac illud rapiunt. Hoc pretio omnes ad illud jus habent; laicus & Sacerdos, sæcularis & regularis, dominus, & servus, pauper & dives, omnes jure suo ad illud possunt anhelare. Pauperes quidem, & parvuli facilius illuc perveniunt; non ideo tamen magni, & locupletes illius aditu prohibentur. *P. Segneri in Medit.*

Anima tanti valet, quanti Dei vita, juxta Dei ipsius judicium.

Dicendum sane est, aliquid magnum esse animam, quandoquidem filius Dei illam suo redemit sanguine; & illius lapsus admodum deplorabilis est, quoniam non nisi per crucem Redemptoris potuit reparari. Profecto non decebat Dei Sapientiam pro ea re, quæ flocci facienda esset, magnos erogare sumptus; neque illius decebat majestatem dare parum pro ea re, quæ plurimi æstimaretur. Videte nihilominus, quid ille fecerit, ut animam lucraretur, quid pertulerit, quid dederit, quid reliquerit. Quid pertulerit, crucis nempe supplicium; quid fecerit, infinita miracula, quorum hoc maximum est, mortalem assumpsisse formam, atque naturam, dejiciens, ut ita dicam, omnem magnitudinem suam in nihilum, & omnem felicitatem suam in cruciatus gravissimos. Quid vero hoc illi suasit? Nostrarum animarum dignitas, & miseria. Noverat hinc quidem originem suę nobilitatis, ac finis, propter quem creatę fuerant, sublimitatem; inde vero illas de omnibus juribus, ac privilegiis suis dejectas videbat, mancipia dæmonum, quorum intolerabilis est sævitia; teterrimis adjudicatas suppliciis, quorum duratio infinita est: qualibet ope destitutas, adeoque in miseria sua cæcas, ut, quin remedium perquirant, se se met in illam furenter deficiant. Hic status est miserrimus tot creaturarum adeo nobilium, & præexcellentium, cujus ille misertus est, utque illis ferret opem, nequaquam censuit indignum magnitudine sua de sublimi solii sui vertice usque in pulverem descendere, & turpissimum Crucis supplicium subire. *P. Novet in Meditationibus.*

Inefficax salutis desiderium.

Summa cum erubescentia confiteamur: nihil fidendum est in hujusmodi desideriis, quę sinceram, firmam, ædificantem conversionem pollicentur, & quę vel minimam noxiam affectiunculam valent infringere. Ideo foventur, ut aliquam alamus salutis spem; & si qua est cupiditas salutem suam operandi, infirmum satis esse ducitur hoc desiderium, quin longius procedatur. Sterilia hæc, & fallacia desideria Christi asseclam in quamdam monstri speciem convertunt; habet enim concupiscibilem appetitum, ut bonum cupiat, non autem irascibilem videtur habere, ut superet malum, & eas vincat difficultates quę in boni perquisitione solent occurrere, & verum est dicere Christianum non ultra in iis, quę ad salutem suam pertinent, adniti, nisi ut inutilia hujusmodi foveat desideria: *Tota die concupiscit, & desiderat*. Prov. 22. Quid faciunt vir hic, & mulier illa, hujus mundi sectatores, qui aliquam Christianę pietatis speciem servare volunt? Numquid operantur hac mente, ut cœlum lucrentur? Nullo modo; sed id operari vellent. Hoccine dignum est fide sua, & promissionibus, quas Deo in sacro Baptismi fonte fecerunt? Quid diceretur de viro avido colligendi bona, & qui nullo se vellet immiscere negotio ad ea sibimet comparanda? Quid de mundana fœmina, quę videre, & videri cuperet, & tota die in penetralibus domus suę delitescret? Duplex hoc characteris genus numquam damnantur inertię. Nemo in mundo est, qui cum de opibus, honoribusque conquirendis sermo est, non agitetur ad hos fines perventurus; imo hac in re magis excedunt mortales, quam deficiant. Quod autem ad salutem pertinet, hoc nomen per se gignere videtur otium, omnesque hominis artus obstupefacere. *P. la Pesse, & recens auctor.*

Cum de salute sermo est, nihil adeo commune est, ut desideria, & nihil adeo rarum, quam serio illis explendis operam navare. Mulier hæc, cui placent societates, & industrium virorum gaudet consuetudine, pudorem suum in discrimen adducit; hunc vellet quidem sartum, tectum tueri, sed adhuc vult, & jampridem vult, hoc tamen nondum præstitit. Hinc vanitas, inde voluptas excitati pudoris hujus motus jugulant. *Tota die concupiscit, & desiderat*. Negotiosus hic vir vellet quotidie resarcire damna, quę intulit; voluntas ejus in desideriis consistit, tamen gradu non movetur. Justitia clamat, in oculos salit; conscientia illam nativis coloribus imbutam nobis objicit; sed hi omnes stimuli nullum improbo huic præbent levamentum, quia nihil restituit. Nobilis iste se Deo vellet devovere; id sæpe etiam cogitat, rei hujus necessitatem agnoscit; tamen adhuc in nescio qua obscœna voluptate marcescit. Avarus dives alienum hoc prędium restituere vellet, sed illud retinet semper, & syngraphas etiam fidelia usurpationis hujus testimonia clam celat. Ita omnia hęc abeunt desideria, & adventante die mortis æque hac in re progressi sumus, ac in ipso ætatis flore processeramus. *Idem.*

Quid faciendum capienti se salvare.

Unum illud, quod est mihi in hac vita faciendum est, servire Deo, mandata illius observando, ac me ipsum salvum faciendo. Ad id omnes actiones, consilia, & intentiones meæ sunt referendæ. Ut verbo me expediam, omnia vitę meę momenta devovenda sunt servitio Dei, & unico salutis meæ negotio, quod unum meam attentionem meretur. Aliter operari est operari contra eum finem, propter quem Deus me in hoc mundo constituit. Numquid hoc mihi hactenus proposui? Quidquid egi, non ne propter Deum operatus sum? Nonne in omnibus illius gloriam dumtaxat quæsivi? Quomodo ego legem servavi? Serio ne operam navavi, ut meæ saluti consulerem? Quid ad hanc rem operatus sum? *Considerationes Christianæ.*

Longe aberravi a fine meo, Deus mi! Creasti me, ut tibi servirem, te amarem, te glorificarem; & his opposita operatus sum. Quin in omnibus actibus meis tuam gloriam perquirerem, nihil aliud spectavi, quam voluptatem meam, & amoris proprii complementum. Non magis de te sollicitus fui, quam si pro te creatus non fuissem. Omnia, & singula vitę meæ momenta tibi fuissent impendenda; cumque illa ad examen revoco coram te, nullum invenio, quod tibi impensum fuisse valeam affirmare: libido quippe, cupiditas, voluptas, utilitas, & amor proprius omnium actionum mearum principia, & causę extiterunt. Modicum illud boni, quod feci, si quid tamen feci, corruptum fuit cum perversis intentionibus, cum innumeris vitiis, ignavia, & negligentia, quę obrepserunt. Agnosco modo causam tumultus, & amaritudinis, quam reperiebam inter voluptates, quas adeo festinanter conquisiveram, & quarum possessionem tamquam felicitatis meæ cumulum intuebar. Cum enim propter te factus sim, nullam nisi in te requiem possum invenire: *Fecisti nos ad te; & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te*, ait D. Augustinus. Tibi millies gratias ago, eo quod omnia ita disposueris, ut voti compos fieri nequeam nisi solida, æternaque bona possideam. *Ibidem.*

Alto rubore suffusus hactenus in teterrima salutis meæ negligentia me versatum fuisse confiteor. Ni-

Nihil egi, ut me salvum facerem; e contra jam pridem ad interitum festino, & qui ex mea agendi ratione judicium ferre velit, censebit fortasse nullum mihi propositum fuisse finem, nisi ut æternum perirem. Agnosce anima mea cæcitatem tuam, & periculum, in quo versaris, damnationis tuæ. Nonne jamdudum aberras, fluxa bona, fragilesque consecrata voluptates, quarum fruitio, quin te voti compotem reddat, maximum tibi negotium facessit ad nobiliorem finem procreatæ. Gratias tibi ago Domine, eo quod me ad finem adeo prestantem, & felicitatem nullum finem habituram creasti. *Ibidem*.

Ut salutem nostram operemur, divinum auxilium implorandum.

Opem mihi fer Domine iis in certaminibus, quę mihi contra me ipsum erunt sustinenda, nec permittas, ut anima, quam creasti ad imaginem tuam, ut te possideret, a te in æternum separetur. Opus est manuum tuarum, noli eam derelinquere; eamque contra omnes salutis meæ inimicos confirma. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*: Psal. 118. & ne illius inani fulgore, præstigiisque decipiar. Rectas fac intentiones meas, ut uni tibi placere velim. Insculpe altius in animo meo hanc veritatem; me ideo in terra hac positum esse, ut saluti meæ consulam, & animæ meæ jacturam nullo umquam pretio esse reparandam. Libenter alteri cuicumque jacturæ subscribo, dummodo hanc incolumem tuear. *Ibidem*.

Timor periculorum animæ in nobis non est ita acer, ut ille malorum corporis.

Cum vere timor periculi percellit aliquem, nihil intentatum relinquunt, ut illud evitent. Nil magis metuimus, quam detrimenta, ærumnas, ægritudines, ac turbam hanc malorum, quibus septi sumus; & raro quidquam negligimus, quod inde nos valeat eruere. Cum autem non eadem utimur præcautione ad majora a nobis arcenda mala; præsumendum est ea non admodum formidari; vel si verum est, illa a nobis timeri, credimus proculdubio non adeo magna opus esse cura ad illa evitanda. Tunc vero quodnam esse potest erroris hujus fundamentum? Et quanam ex causa animę periculum unum illud est, quod non omnem sollicitudinem nostram exposcit, ut illud prævertamus? *Sermo quintus Academiæ anni 1701.*

Impossibile est duo simul habere desideria, alterum discendi, alterum salutem acquirendi.

Unum dumtaxat habere videmini desiderium, vel saltem unum dumtaxat vobis esset habendum yosmet videlicet salvos faciendi: verum audebitis ne affirmare, a vobis non optari potius divitias? Talis reipsa ordo est desideriorum nostrorum; flagrare debet secundum majus illud bonorum, quæ cupiuntur, pretium. Æterna vero bona ullane ratione comparari possunt cum bonis, quę nos derelinquunt, vel quę potius quam primum relinquimus? Quid habemus, & possidere possumus, quod æquiparari possit saluti animę nostrę? Sed quomodo possumus duo simul alere desideria adeo violenta, & opposita? Non miror, si tetrici malos dies transigimus; si vitam adeo molestam ducimus. Sollicitos esse ad opes quærendas, & adhuc sollicitiores ad salutem operandam; fateor equidem me ratum fuisse, duo hæc simul conciliari non posse. Quomodone ita feliciter in adeo diversa studia nosmet partimur? A mane ad vesperam nostris vacamus reditibus; & a mane usque ad vesperam impensius cœlestibus thesauris congerendis (ita enim credi volumus) inhiamus. Omnes viri boni non habent, uti nos, animam satis magnam, ut simul cogitationibus suapte natura ita longe sepositis & fere pugnantibus occupentur. *P. la Pesse, Tomo 2.*

Attente inspiciamus, an ullum nobis adsit momenti majoris negotium, ullum nobis sit, ex quo tot nostra pendeant bona, ullum, quod tanti referat nostra, quanti salus nostra. Non agitur hoc loco, utrum lis tibi adjudicetur, an secus; neque utrum in omnem vitę hujus cursum felix, vel infelix futurus sis. Hoc magni quidem esset momenti, non tamen infiniti. Calamitosum esse, ad mortem usque pati, magnum utique malum est; tamen spe aliqua non careret. Agitur de æterna felicitate, vel miseria, agitur de æterna Dei possessione in Beatorum patria, vel de æternis in inferno suppliciis, ac de æterna in nullam spem reditus damnatione. De hoc agitur, cum sermo est de salute. Ulliusne momenti hoc est negotium? Meretur ne curam, & sollicitudinem nostram? Dignum sane est animadversionibus nostris. Quantum detestor, Domine, cæcitatem, erroremque meum. Potior effluxit vitę meę pars; & nondum huic negotio vacare cœpi. Heu! quid mihi metuendum non est ab ira tua, si adhuc eidem vacare cunctor .... Quid modo prodest opulentis illis reprobis, magnis opibus redundasse, magnos gessisse titulos, optima prędia possedisse? quę enim permutatio dari potest, ubi omnia in æternum amissa fuerunt. Cœlum amisi, amisi Deum: ergo perdidi universa; eaque in nullam reditus spem perdidi. Nimio tibi, Domine mi Salvator, steti pretio, ut me interire patiaris. Effusis lacrymis fateor me hoc meritum esse, & interitum meum mihi esse inevitabilem, nisi melius, quam hactenus, saluti meæ consuluero. Sed actum jam est; certum iniit consilium, ex hoc ipso temporis momento salus mea est omnium curarum, meæque sedulitatis objectum. Hæc unicum est negotium meum; proprie loquendo, non habeo alterum: & stat mihi imposterum omnes exercere virtutes, quæ ad cœli acquisitionem sunt necessariæ. *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tom. 5.*

Mundi placita Evangelicis nequeunt derogare institutis.

Quantumcumque Dei verbum mendacibus interpretationibus corrumpatur, inanibus acuminibus dissimuletur; ad libitum benignum, commodumque conscientiæ systema, sexcentis suffultum auctoritatibus proponatur; videatur licet sanctissimarum Evangelii institutionum oblivio præscripsisse pro mendacio; semper verum erit nos in hoc mundo non esse, nisi ut salutem nostram operemur, & unum hoc dumtaxat nobis esse negotium. Semper verum erit, arctam esse viam, quę ducit ad vitam, paucos esse, qui ambulant in ea; diebus omnibus crucem esse ferendam; in singulas horas nobismet vim esse inferendam. Semper verum erit Evangelium solum esse morum nostrorum canonem, ideoque & salutis; spiritum & mundi placita e regione adversari spiritui, placitisque JESU CHRISTI; falso homines sibi blandiri, quasi essent ex numero Discipulorum Salvatoris, si juxta mundi placita, & spiritum vivunt. Denique semper erit verum vitam mollem, deliciis affluentem, mundanam, numquam fuisse vitam Christianam; Deo reddendam esse rationem talentorum, quibus ab illo donati fuimus, totius boni, quod faciendum erat, & factum non fuit, totius mali, quod patratum est, imo etiam verborum otiosorum, quę prolata fuere; relaxatione fidem infirmari; licentia omnes Religionis sensus suffocari; malis exemplis nos trahi. Semper liquebit, numquam fore, ut Evangelicæ veritates consenescant; ideoque nulla re nos magis affici oportere, quam uno salutis nostræ negotio. Hic unicus est finis, unicumque Filii Dei desiderium omnibus mortalis vitę suę diebus; hoc unum non sine maximo dilectionis excessu coegit illum, ut Calvarium ascenderet, & se se offerret Patri, tamquam victimam placentem, atque perfectam pro mortalium omnium salute. Quantum igitur sontes sunt tot mali Christiani, qui salutem suam nullo habent in discrimine, quasi de infensissimi hostis pernicie, & excidio ageretur? Nonne his hoc ipsum exprobrari posset, quod Salvianus olim ævi sui Fidelibus, quos ait, nullam habuisse rationem animę suę; & dæmonem tanti eam facere, ut noctu, ac interdiu vigilet eam voraturus. *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tom. 5.*

Vult Deus nos cooperari gratiæ suæ, ut salutem nostram operemur.

Quoniam nihil majoris momenti nobis est, quam salus nostra, una ex præcipuis veritatibus a nobis attentius meditanda, ordo est, quem servat Dominus, ut ad promissam nobis beatitudinem adducat. Pendet a Deo; fides enim docet, sine Dei ope nihil boni a nobis fieri posse. Pendet ab homine; quod S. August. verbis illis ostendit: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*. Quam maxime nostra refert nostram submissionem agnoscere, & edoceri de jugi necessitate, quę nobis est auxiliorum Dei. Hoc est Christianæ humilitatis fundamentum; hoc nobis ostendit, quænam sit nostrę conditionis miseria. Hoc nos docet, ut coram Deo nosmet exhibeamus tamquam pauperes nihil habentes, nisi quid ab illius gratia, & liberalitate recipiant. Deus pati nequit Christianos inertes, qui languent in mollitie, qui vellent a Deo totum salutis suę opus impleri, qui mercedem obtineri vellent sine labore, & quin aliquo se motu exerceant ad eam promerendam. Necesse igitur est, christianum hominem discere, quænam esse debeat fidelitas, & quid sibi faciendum sit, ut pro virili ad magnum hoc negotium incumbat, a quo æterna illius pendet felicitas. Non desunt essentiales dispositiones, quę hominem Christianum efficiunt, & qua Deus in nobis vult reperire. Quid utilius, quam ad eas cognoscendas nervos omnes contendere, ut Dei mentem assequamur? Hi fundamentales Religionis canones in Evangelio optime explicantur. *Lambert in anno evangelico*.

Ani-

Anima saluti suę intenta incessanter consulit Evangelium, & consulit, ut ad illud se se conformet. Illa attentius in eodem semet intuetur, & Sancti Jacobi textus ait, illam semet intueri non secus ac qui se inclinant, ut attentius, ac apertius videant, quod videre volunt. Omnes sibi applicat veritates quas legit, vel audit. Abscondit illas in corde suo, ut ad illas, ubi adsit occasio, confugiat, easque sibi tamquam actionum suarum normam proponat, atque ut in rebus dubiis illas velut ducem, & in tentationibus, velut præsidium sequatur. Tunc gaudio perfunditur cum legit, vel audit hoc verbum; sed beatam se minime putat, nisi illud exercens; quia cum homo vere in hac vita felix non sit, nisi quatenus futuræ vitæ felicitatem sperare potest, scit hanc sibi sperandam non esse, nisi ea, quę in Evangelio sibi præcipiuntur, expleverit. *Tourneux in anno Christiano. Tomo 6.*

Nemo in hoc mundo habere potest physicam salutis suæ certitudinem.

Si S. Paulus post tot exantlatos labores, nondum se salutis suæ certum putat, quis audebit, D. Chrysostomus inquit, se suæ certum afferere in hac vita, quæ perennis est tentatio; & qui non proficiet non exemplo solum, sed etiam consilio Apostoli alibi dicentis: qui se stare putat, videatne cadat; & alibi passim; cum timore, ac tremore salutem vestram operamini. Sancti ipsi se comparant homini, qui manu ducitur, ut currat, ac referat bravium illis promissum, qui ad propositam sibi metam pervenerint. Inquit igitur se captum fuisse a JESU vocante ipsum ad fidem, & Apostolatum, sibique ab illo propositum fuisse finem, quo tenderet, quemdam videlicet divinę cognitionis, virtutis & perfectionis gradum, & pro pretio vitam æternam, quemadmodum deinceps ostendit. Non moratur igitur, sed currit, ac laborat ad statum illum perventurus, ad quem vocatus est. JESUS CHRISTUS rebus omnibus est præferendus; pro sordibus habendum quidquid ad illum non adducit; ex semet abrenuntiandum est, vel propter illius amorem ferendum earum rerum omnium, quę apud homines sunt in pretio, detrimentum: hominis imbecillitas cognoscenda est, & divinę gratię acceptum referendum est, quidquid boni fieri potest: tamquam inutiles habendæ sunt optimæ quævis actiones, ubi per J. C. fidem, atque amorem factæ non fuerint; quotidie in Dei cognitione progrediendum est; adspirandum ad gloriosam resurrectionem, cujus resurrectio sua pignus est, & per passionem ejus societatem promerenda; procuranda est conformatio mortis illius per voluntarias carnis mortificationes, humilemque acceptationem crucis, quam nobis immittit; in via Dei non subsistendum, sed semper procedendum, ut eo, quo vocatur, perveniat; numquam nimis de salute sua præsumendum, sed trepidandum propter propriam infirmitatem, atque omnibus in rebus inconstantiam; confidendum tamen in illius misericordia, & bonitate, a quo pluribus in occasionibus tot gratiis, atque favoribus auctiſumus: si enim ex nobismet nihil possumus, omnia tamen possumus per ipsum. Ne præfidamus ergo in viribus nostris; ne nobismet ipsis innitamur; sed collocemus in Deo omnem confidentiam nostram, neque deerit ille nobis, quominus fragilitati nostræ ea omnia præstet subsidia, quibus egemus, ut salutem consequamur. *Tourneux in anno Christiano Tomo 6.*

Se ipsum fallit, qui credit salutem suam curæ, qua Dei verbum audit sollicite, quin tamen illud opere studeat adimplere. Auditor legis nequaquam justus est coram Deo, S. Paulus ait ad Rom. 2. sed factor ejusdem justificabitur. Quicumque J. C. inquit Marc. 7. audit, & observat præcepta mea, similis est sapienti ædificanti domum suam super petra: Qui vero audit, & non observat, insipienti similis est, qui ædificat in arena domum quamprimum ventorum flatu disjiciendam. Evangelium simile est speculo, in quo omnes detegere possunt maculas suas. Qui enim vitam suam confert cum sanctis Evangelii regulis, videt, quid in vita sua rectum est, quid secus; nam rectum censendum est, quidquid est conforme legi JESU CHRISTI; secus vero, quidquid eidem adversatur. Matrona suę formę studiosa se in speculo inspicit, ut sordes abluat, quas in ore ejusdem opera videt. Hoc ipsum de fidelibus omnibus dicendum est, qui serio saluti suæ cupiunt studere. Mores suos cum lege Evangelica comparare debent, ut sciant vitę suę labes, easque corrigant, salutem suam operaturi. *Tourneux ibidem*.

Frustra, nostri habita ratione, Sancti tot pertulere pœnas salutem suam operaturi, nisi illam imitemur.

Quanti fecerunt Sancti viri salutem suam, & quidquid illis conferre poterat ad beatam æternitatem promerendam? Ad quam aliam fortunam contenderunt; & ad comparandam felicitatem hanc nullis finibus circumscriptam quot prælia sustinuerunt? quot retulerunt victorias? Ætates, statusque omnes percurrite; ubique magna effulgebunt virtutis, modestiæ, & mortificationis exempla. Omnes Sancti isti, quos adeo parum imitamini, sapientes ne fuerunt eo quod a nostra inertia & ignavia abhorruerunt, an ipsi sumus sapientes, quia non sumus æque ac illi devoti, humiles, immortificati? Audebimus ne dicere illos plura, quam oporteret, fecisse, ut eo pervenirent? Palam constat nos omnino aliam viam sequi. Hæccine via est, qua ad eumdem terminum pervenire valeamus? Quam longe discrepat a summorum illorum virorum via? Sancta hæc exemplaria nobis fient inutilia, nisi nosmet exciverimus ad illa imitanda. Satis nobis est frigide confiteri, nos quidem ad salutem nihil operari; temporalibus negotiis absorberi omne tempus, & nugis sæcularibus detineri. Vera quidem hæc est confessio; sed præterea vitæ ratio mutanda est, & in praxim redigendum, quidquid Sancti tot tantisque exemplis nobis faciendum esse indigitaverunt. *P. Croiset in Exercit. Asceticis Tomo 2.*

Unum adhuc nobis restat perfugium ad cœli gloriam promerendam, hoc posito, quod desit nobis fortitudo ad illud impetu facto rapiendum; est autem pati saltem, viam nobis fieri, ut illuc introducamur. *Compelle intrare, ut impleatur domus mea*, Luc. 14. Deus autem quodammodo nos compellit egestate, infirmitatibus, persecutionibus. Hæc enim a nobis non optantur, immo tamquam mala putantur, & non nisi invitis accidunt. Sed illis bene utamur, patienter illa sustineamus, & æque tuto cœlum obtinebimus, ac illi, qui sibi vim faciunt, ut illud eripiant. Sinamus nos Providentia trahi, non secus ac illos, qui se trahi sinunt a circumfusa populi turba, hoc est, sinamus agere tribulationes, quæ irruunt in nos, in supplimentum nostrę imbecillitatis, cogentes, ut ea faciamus, quę infirmitas nostra non finit. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Act. 14. Numquid vellemus regnum hoc dono nobis concedi, quin ejus acquisitio nullo nobis esset pretio comparanda? Hoc fieri non potest. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. P. Segneri Medit.*

Animæ nostræ salus omnibus mundi bonis est præferenda.

Animam suam corpori, & mundi hujus bonis præferre necessitas est, de qua cuilibet licet imperfecto Fideli reor persuasum esse debere. Sed heu! quo ipsi in discrimine habemus animam partem nostri præstantissimam. Turpe lucrum, glorię vapor, momentanea voluptas ea commutatio est, quam pro illius jactura acceptatis. Tamen licet omnem terrarum orbem fuisseris adepti, quid hoc vobis prodesset, si animę vestrę detrimentum faceretis? Animam hanc igitur, licet rerum omnium jacturam facturus sis, serva, quia hæc omnia tanti non sunt, quanti illa: *Serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum*. Eccl. 10. H juice veritatis certus, Domine, in posterum animę suę incolumitatem cæteris quibuscumque bonis anteferam. Bona hæc fluxa, ac fragilia sunt; illa vero immortalis; illam tibi penitus devoveo, eam tuę voluntati omnino sacrificans. Anima mea decrescit, cum æstimat, & amat aliud quidpiam præter te; supremus perfectionis gradus illi est, tibi uni vivere. *P. Segneri in Meditat.*

In salutis negotio semper timendum est, sed hic timor ejicere debet præsumptionem, non autem confidentiam.

In salutis negotio semper sumus incerti; extremum vitę nostrę momentum inutiles efficere potest curas omnes a nobis longa annorum serie susceptas. Non igitur satis est, saluti nostrę vacare; sed cum timore, ac tremore eidem vacandum est: *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini*. Philip. 2. Magnitudo periculi, quod subimus, esse debet nostri timoris causa; ejusdem periculi propinquitas in nobis timorem, tremoremque debet producere. Periculi magnitudo efficere debet, ut timeamus. Quid in salutis negotio non periclitamur? Si ita miseri sumus, ut illud male vertat; de nobis actum est, omnia in nullam reditus spem interierunt; omnia in æternitatem perdita sunt. Impii semel in abyssum detrusi, nequicquam omnibus saculis malis suis remedium exquirent; sed quem invenient exitum, ut effugiant ex iis malis, quibus obruuntur? *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis*. Job. 11. At longe abest hoc periculum; fortasse non eit aiduum emergere. Proh Christiani! hoc illud est, quod vobis trepidationem debet injicere, ac facere, ut terror medullis vestris inhæreat: *Pavor tenuit me, & tremor; & omnia ossa mea perterrita sunt*. Respicite sub pedibus vestris, terrificum

gur-

gurgitem, unde egrediuntur legiones dæmonum, qui parati sunt, ut gravissima vobis inferant prælia; oculos conjicite in mundum hunc præstigiatorem, in quo vivitis, & in laqueos, quos vobis circum ubique tendit. Oculos in cœlum attollite, unde potestis auxilium sperare, sed quod propter vestras infidelitates vobis semper clausum esse oporteret. Vosmet ipsos colligite; inordinatorum affectuum vestrorum tumultum audite, videte rebellionem carnis, ac dura certamina, quæ indefinenter vestræ infert voluntati. Post hæc dicite, periculum, in quo estis, pereundi non esse manifestum, & Apostolum exaggerare, cum præcipit, ut cum timore, & tremore salutem nostram operemur. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini*. Hic tamen timor licet æquissimus, numquam de spe vos debet perturbare: desperatio, inquit Apostolus ad Rom. 2. pars est malum operantis: *Angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Adspectus imminentis periculi, modica spes, quam in propriis viribus invenimus, inevitabilis alieni subsidii necessitas, ut vel unum bonum foveamus desiderium salutis; hæc omnia detinere nos debent in profunda humilitate, & jugi sollicitudine, ne Divino patrocinio efficiamur indigni. *P. Segneri in Medit.*

Nostræ salutis opus esse debet nobis opus molestum, ac laboriosum, quod nobis benevertere nequit, nisi diligentissime in eo nosmet exercuerimus: *Vestram salutem operamini*. Philip. 2. Salus non est ex illis operibus, quę inter plures distribui possunt. Numquam sane soli eidem vacabimus; hoc est enim opus tam Dei, quam hominis, & magis etiam Dei, quam nostrum: sed ille hoc omnino citra laborem nostrum non perficiet. Deus quidem ex se omnia perficiet; etenim sine illo ipsi nihil facere possumus. Nos quoque omnia faciemus ex parte nostra; quia Deus, qui nos prævenit, nihil ad magni hujus operis conferet complementum, nisi quatenus & ipsi cooperari, ejusque subsidio uti voluerimus. *P. Segneri in Meditat.*

Vis ad cœlum rapiendum adhibenda duo habet objecta, Deum, & nosmet, Deo quidem per orationem vim inferemus. Quamvis enim cupiat nobis suum largiri paradisum; vult tamen, nos cum ipso ita agere, quasi ille nobis esset extorquendus per importunitatem: *Propter improbitatem dabit*: Oratio autem unica ratio est Deo vim inferendi. Vis autem, quam nobismet ipsi debemus inferre, in omnimoda nostrummet abnegatione consistit. Oculos claudere objectis omnibus periculosis, aures obstruere blandis sermonibus; linguam compescere, ubi vellet in impatientiæ, acrimoniæ, irrisionis, & obtrectationis vocabula erumpere; in ipso corde jugulare sensus omnes vanitatis, superbiæ, ultionis; hæc vis est nobismet inferenda; ita Regnum cœlorum vi rapitur; ita miles arcem oppugnans obicem omnem arcet, ac propellit. Quod fit vi, brevietiam fieri consuevit; quapropter dictum est, & *violenti rapiunt illud*. Matth. 11. Adhibeamus vim omnem, quę necessaria est, & regnum hoc momento acquiremus. Momentum latroni bono de cruce pendenti fuit satis, ut audire mereretur ex ore JESU CHRISTI hæc verba Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Exemplum hoc quidem portenti loco est; sed licet ætate provecti simus, agitur tantum de constanti voluntate Deo, nobisque vim faciendi; Deo quidem per Orationem; nobis vero tandem aliquando abrenuntiandi inanibus sæculi voluptatibus. *P. Segneri Meditat.*

Ut salutem nostram operamur, precibus cœlo vim debemus inferre.

SANCTITAS.

Perfectio, virtus &c. Obligatio crescendi in sanctitate, & ad perfectionem adnitendi &c.

MONITUM.

SERMO *de Sanctitate, & Christiana perfectione primo statim intuitu nimis late vagari videbitur cuipiam; quoniam omnium virtutum praxis, præceptorum, & consiliorum evangelicorum observantia, patientia, sensuum affectuumque mortificationes, omniaque bona opera huc tendunt, ut nos sanctos, & perfectos Christianos efficiant; & quemadmodum hæc totidem sunt veluti ad Sanctitatem acquirendam subsidia, exigeret, uti videtur, hoc argumentum de iis omnibus verba fieri; quoniam christiana perfectio in harum rerum congregatione consistit, cum unicus defectus, & unum, quod desideretur, sufficiat, ut opus sit imperfectum.*

Verum enim vero hoc non probbet, quominus haberi valeat sermo de sanctitate generatim; cum enim Deus non alios sanctitati, & perfectioni a nobis acquirendæ fines præscribat, quam propriæ sanctitatis terminos, & ad hunc finem creati simus, non adeo operosum est in tam patenti argumento aliquos sibi cancellos statuere, verba faciendo vel de sanctitatis adipiscendæ necessitate, vel de desiderio in perfectione progrediendi, & in sanctitate in dies magis crescendi. Præterquamquod cum perfectio, & sanctitas plures habeant gradus, quemadmodum in cœlo diversæ mansiones, & coronæ sunt, a Christiano quærendum est, ut adnitatur eam acquirere perfectionem, quam ille status requirit, ad quem ipsum Providentia vocavit, quin longam illam persequamur enumerationem rerum earum, quas si fecerimus, eo pervenire possimus.

Notandum solum est, nos de hac re alibi jam fuisse in aliis argumentis locutos, quæ aliquem cum hoc nexum habent, cujusmodi sunt salutis cura, fervor in cultu Dei, in minimis rebus fidelitas, & alia, quæ, si res feret, consulere poteris.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Structuræ.

PRo concionis ad formandos mores aptissimę, utilissimæque argumento desumi potest veritas hæc evangelica; in sanctitate, & virtute semper esse progrediendum, quin aliquos umquam nobis cancellos statuamus ejus perfectionis, quam acquirere possumus; idque ob triplicem causam, quæ erit sermonis partitio. Prima ex Dei mandato id jubentis, atque volentis desumpta est: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra* 1. ad Thessal. 4. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est &c.* Matth. 5. Altera est exemplum filii Dei, qui noster prototypus est. *Jesus proficiebat sapientia, & gratia apud Deum, & homines*. Luc. 2. Tertia demum desumitur ex gratia, quæ nobis ad id præbet auxilium. Itaque Deus simul & mandatum præbet, & exemplum, & auxilium semper in perfectione crescendi, & in dies majorem acquirendi sanctitatem.

Pars Prima. Hæc Dei voluntas est, qui hoc nobis palam præcepit, & perfectionem nostram sua putat interesse. 1. Quatenus creator, & postremus finis noster; gloria enim opificis est opus suum, & opus excellens mirifice commendat auctorem suum. Nos Dei opera sumus, qui noluit nos creare perfectos, quemadmodum primum hominem creavit, sed voluit, nosmet ipsos nostræ perfectioni adlaborare, eique manum extremam admovere. Ita unus perfectus homo in aliqua societate majorem Dei gloriam affert, atque dignius eum laudat, quam alii quamplurimi. Quid? Num reliqua Dei opera perfecta erunt quęlibet in genere suo: Cœli, Sol, Terra, omniaque alia Dei opera elegantissima habebunt ejus perfectionis, cui paria sunt, lineamenta: homo autem, quod potissimum, perfectissimumque illius esse debet opus, satis putabit sibi mediocrem, deformatamque esse virtutem? Profecto, quemadmodum ille nos ad majorem sui nominis gloriam creavit, quot perfectionis gradus nobis desunt, tot sunt furta, ac latrocinia, quibus illius gloriam surripimus. Ad hæc, cum Deus sit novissimus finis noster, nulla actio est, quæ pro ipso fieri non debeat, nullum verbum, nulla cogitatio, ne unus quidem cordis nostri motus, qui in ipsum non tendat; ideoque perfectio nostra in hoc sita est, quod toti

simus illius, ad illum quam propius accedamus, eique nos similes præbeamus. Ad id autem semper progrediendum est, sine ulla intermissione procedendum, si in perfectione, & sanctitate proficere cupimus; quia inter ipsum, & nos infinitum semper aderit intervallum. At hoccine præceptum est? Respondeo, religiosis quidem ex omnium Theologorum post Aquinatem sententia, præceptum esse, cæterum existimandum non esse, eos solos teneri, ut ad sublimem perfectionis, & sanctitatis gradum adnitantur; etenim si evangelica excipias præcepta, quibus noluit mortales universos subjicere, sæculares quoque conari debent, ut status sui perfectionem acquirant. Evangelia non sunt duo; pro sæcularibus alterum, alterum pro cœnobitis; neque duæ sunt viæ, quibus ad cœlum perveniatur; arctior, & difficilior altera, pro illis, qui sese divino cultui devoverunt; altera vero latior, & facilior pro illis, qui vivunt in mundo. Omnibus generatim Salvator dixit Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam*, quemadmodum palam Apostolis suis declaravit: *Quod vobis dico, omnibus dico, &c.*

Pars altera. Dei filio satis non fuit nobis præbere præceptum omnia credendi, ac in dies ad sublimiorem perfectionis, & sanctitatis gradum perveniendi; præbuit etiam exemplum in se ipso, proficiens, ut inquit evangelium, gratia, & sapientia coram Deo, & hominibus. Nam licet ille Sanctus esset infinita sanctitate ex primo conceptionis suæ momento, & ex eodem omnem jam haberet sapientiæ plenitudinem, quam in vitæ suæ fine habebat, eam tamen evolvere, & explicare voluit, ac magis magisque in dies quasi crescentem ostendere, prout ipse crescebat ætate. Præterea in laboribus quoque, & ærumnis crescere voluit, quin umquam subsisteret. Annos triginta in tenebris, & arte laboriosissima transegit; mox urbes, vicosque ad animas lucrandas, & peccatores convertendos peragravit. Denique crudelem, turpemque mortem perpessus est; semper crevit; semper proficit; semper zelum, & amorem suum magis, magisque probavit. Hoc ille nobis dedit exemplum, nobisque dicere licebit, satis est, ubi divini hujus prototypi perfectionem assecuti fuerimus. *Ibi cursus tui metam fige, o Christiane, ubi Christus fixit suam*. Cum pervenerimus ad hanc annihilationem, mortificationem, patientiam, sanctitatem, tunc dicere poterimus, satis est; sed ante illud tempus quiescere velle, manifesta illusio est; est retrogredi. In tota Salvatoris vita si animum adverteris, nil distat a summo. Malorum perpessiones, humiliationes ad summum, Virtutes omnes in summo perfectionis gradu exercitæ fuerunt; & nos in mediocritate subsistere poterimus? Et existimabimus satis a nobis factum fuisse, ut quiescendi jus habeamus? Heu! *Ibi cursus tui metam fige, ubi Christus fixit suam*. Si dicimus; opus esse gloriam opificis, & causæ effectum, discipulus non minus esse debet gloria institutoris sui, & nos eo perfectiores erimus, quo propius illum imitari conabimur. Tot illum imitati sunt, nos vero eum sequi pudebit? Cogitemus, in hoc sitam esse nostram sanctitatem, ac perfectionem.

Pars tertia. Non solum mandavit Deus, ut sancti, & perfecti essemus, neque solum hoc nos docuit exemplo, sed tertio auxilium etiam præbuit, quo in dies crescceremus, & incessanter progrederemur in virtute; hoc autem auxilium gratia est cum actualis, tum habitualis. Hæc enim semper usque in infinitum crescere potest, quippe quæ hæc proprie nostram efficit sanctitatem, quamobrem sanctificans appellatur. Illam vero, actualem videlicet gratiam, Deus nobis in singula fere exhibet momenta; hæc nos urget, sollicitatque ad amplissima facta, quæ sunt nostræ sanctitatis causa, & mensura. Recense omnia subsidia, quæ nobis divina suppeditat Providentia crescendi, & in dies ad perfectionem progrediendi: quot sese offerant quotidie occasiones exercendi modo humilitatem, modo patientiam, modo mortificationem. Si huic responderimus gratiæ, quam meritorum congeriem intra mensem, annum, ad vitæ exitum congregabimus; cumque ad stadii finem pervenerimus, quænam absoluta erit a nobis meritorum via semper progredientibus, nec subsistentibus uspiam? &c.

II. Sanctitas, quam nobis præcipit Deus, & sine qua nulla salus speranda est, in hominum animis tres validos obices infringendos invenit, licentiam, ignorantiam, inertiam; vel ut clarius loquar, tria Christianorum genera illam impugnant, vel male affecti sunt erga eamdem.

1. Homines in omnem effusi licentiam eam perstringunt, eique abrogant fidem. 2. Ignari male intelligunt illam, & in usu, quem faciunt, vel quam se facere credunt, fallaces ejusdem ideas concipiunt. 3. Ignavi eam ad praxin redigi non posse putant, & ad eamdem se pervenire desperant. Primi illi maligni, & critici eam in odium rapiunt; secundi rudes, & carnales ejusdem pro libidine, ac sensu suo ideas sibi efformant. Tertii infirmi, & languidi difficultatibus deterriti illi abrenunciant. *Ex sermone P. Bourdalove de Sanctitate &c. Hæc partitio æque bene & devotionis argumento quadrat.*

III. 1. Possumus fieri Sancti, perfectique Christiani in statu, & conditione nostra. Ad id necessarias habemus gratias; sexcenta externa subsidia, quæ nos excitant, nobisque opitulantur; occasiones innumeras exercendarum virtutum, quæ nos perficiunt; & quod omnem nobis aufert prætextum, ex omnibus temporalibus negotiis, quæ sunt statui nostro conformia, ne unum quidem prohibere nos potest, ne sanctitatem, si velimus, acquiramus. 2. Adnitendum nobis est, ut in eo statu, in quo nos Providentia constituit, sanctitatem adipiscamur, & perfecti efficiamur. Hoc inevitabile est Dei præceptum, quod ad omnes pertinet, & falluntur, qui ad religiosos tantum illud spectare arbitrantur. Hoc in baptismo polliciti sumus; denique ad id unum in lucem sumus editi &c.

IV. 1. Nostrum erga Deum postulat officium, ut ad sublimiorem perfectionis adnitamur gradum, qui nostram deceat professionem, & ut nosmet Sanctos efficiamus. Alia quælibet Dei serviendi ratio eodem indigna est. Deus, quem colimus, & Dominus, cui famulamur, infinite Sanctus est, & perfectus, neque nos evocavit, ut ipsi famularemur, nisi ut aliquo modo eum imitaremur. *Perfecti estote, quoniam ego perfectus sum &c.* 2. Nostra interest ad perfectionem adniti, & majorem pro viribus sanctitatis gradum acquirere; quia non solum magni, beatique erimus in cælo juxta sanctitatis nostræ mensuram; sed etiam quod alia quælibet via perveniendi ad gradum virtutis ad salutem necessariæ inefficax est, nisi semper progredi conati fuerimus.

V. 1. Christiani hominis officia adimplere, statuque, & professionis nostræ muneribus satisfacere non possumus, quin ad perfectionem adnitamur; quia alioquin semper infra subsistimus, nec pervenimus umquam ad gradum, qui omnino necessarius est. 2. Nisi ad id contenderimus, quod in statu nostro, & Christiana religione perfectissimum est, neq ieunt superari difficultates, quæ in salute operanda occurrunt, & obices, qui adversantur, seu ex nobis, corrupta natura, & concupiscentiæ rebellione proficiscantur, seu externæ sint, molestæ, delicatæque occasiones, quæ in vitæ hujus cursu nimis frequentes sunt. *Ex Christianis sermonibus tom. 1. Dominic.*

VI. Ut perveniamus ad perfectionem, quam petit Deus a Christiano in eo statu, & conditione, in quo illum Providentia constituit, 1. ardenter desideranda est, alioquin nonnisi imbecilles conatus exeremus ad eam consequendam; & docet experientia, quamprimum negligi, & derelinqui, quod multo obtinendum est labore, & quod non adeo vehementer optatur. 2. Ad id constanter, & sine intermissione adlaborandum est; si enim in molesto, & laboriosо hoc subsistimus stadio, retrocedimus, non proficimus; & naturæ nostræ pondus nos retrahit a termino, quo tendendum est. 3. Veræ ineundæ sunt viæ; non secus ac, ut ad eum, quo cupis, terminum pervenias, illa ingredienda via est, quæ illuc ducit. Hæc autem via est praxis Christianarum virtutum.

VII. Adnitendum nobis est, ut nosmet sanctificemus, & eam acquiramus perfectionem, quam religio, & status noster postulant ob duplicem causam, quæ sermonis erit partitio.

Prior est Deum hoc velle: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*; & hanc nobis voluntatem significavit, præcepto, quod tulit, exhortationibus, quibus nos excitavit gratiis, quas offert, & subsidiis, quæ illius nobis Providentia ministrat.

Altera est, nos in baptismo solemnibus hoc recepisse promissionibus, & quatenus Christianos hoc ipsum palam profiteri. *Ex P. Texier, tom. 1. Dominic.*

VIII. 1. Deus nobis præceptum tradidit, ut sanctitatem, & perfectionem assequeremur. 2. Se ipsum nobis pro-